PETRI

TVRRELLI

CAMPANI ET IN SVPREMO GALLIARVM SEnatu aduocati cōtra Othomani Francogalliam, Libellus.

Ce livre a été fait après la reponse de Papire Masson et de Matharelle, contre la Francogallia de Hotman, p. 1. de l'avis au Lecteur.



PARISIIS,

Apud Michaëlem de Roigny, via Iacobea ſub ſigno quatuor Elementorum.

1576.



ILLVSTRISSIMO VIRO CHRISTOPH. THVANO SENATVS Galliæ præsidi maximo sanctiorísque consistorij consiliario. Petrus Turellus, S. P. D.



STYLI & mei status obscuritas (præses maxime) me credo omni assentationis suspicione liberabit : méque hũc libellum scripsisse refferet, non vt aulicus assentator magnatum demulcerem aures: verum vt quid in dicendo possem (quòd exiguum scio) mihi quadanteuus esset expertum: tantùm enim abest vt assentari pulchrũ, quin ab asentationis suspecta culpa sese eximere longè pulchrius existimem. superfluum igitur huius tractatus rationem (nè qua inte-

rimaltera mēti aliena quæratur) excogitare culpæque veluti commissæ veniam deprecari. Cùm præsertim reges obscura & ignobili disputantium actione nō lædantur: qui si læsi, subtiliori calamo deffēsionis on⁹ defero: ne acutiorū segetē falce adultera in intempestiua calamitate colligam. Verùm vbi primò mihi locum hūc Palatii (in quo oratores niti solent) licuit ascendere: mihi illicò afflata nescia quædam voluntas, me scilicet tibi ascriptitium aperire, accurritque simùl me tanto honore posse frui, si quid ex meis studiis literis obsignarem tuóque nomini circūferrē. A me igitur expectata hæc est occasio quæ hoc (qualecumque sit) seruili munere designatur. paruū quidem, si potissimùm cum officiis seruilibus prepostere examinetur & perpendatur. Arduus prætereà quæstionis tractatus mihi addidit animum tibi libellum hunc consecrādi. eius enim authoris sermo

nem extenuare occipi, qui vitam omnem ſtudiis perpoliuit: mihi proindè quærendus fuit Theſeus qui obtuſo fortè noſtro ſermoni ſubtilitatem & ſplēdorem adderet. ſi igitur (quod exoro) ſis mihi Theſeus, tanto amictus clypeo ſagittarum aciem & aduerſariorum iniurioſa verba in poſterùm contundo. Tibi verò (quò me citiùs aperirem) ſcripſeram iā duo ſunt anni Anticatona ſeu de iuuentute libellum, quò Ciceronis catoni maiori ſiue dialogo de ſenectute cōtradixeram. contradicta tamen immortalitas animi ab inſtituto pedem ſuaſit referre, nè ſtudiorum cēſores me animū ab ea tamen opinione alieniſſimū vnū cum ſermone habere forte exiſtimarent. Vtcùmque ſit hoc meo labore ſi te oblectari reſciuero, ſunt mihi præ manibus quidā libri de iure regaliæ, quos maiori cum ſtudio, iuriſconſultus magis, tibi perficiam. Datum Pariſiis prid. id. ſept. 1575.

PETRVS TVRRELLVS CAMPANVS.
Lect. Sal.



Ibi acuta febre laboranti cùm Medici studiorum seriem ad tempus interdixissent (lectores) inopinatè in manus incidit Massonij iudicium de Franco Gallia Othomani: quod quidem impulit & Matharelli & Othomani de Franco-Gallia librum scrutari. scrutato verò nullam me duxi Matharello iniuriam allaturum si eum quem pro hoste semel acceperat, stylo quadantenùs hostili persequerer. qui si eius multum dißimilis fuerit, veniam peto. Verum si in scribendo fuerim audacior quàm par sit dum Achili multùm impar. Achilem tamen aggredior: si semel is commissus error tempore poßit resarciri. ferunt (lectores) Atlãtem humeris cœlum fulcire: ferũt tempus motum esse cœli, is igitur Atlas mihi, vt assolet, si semper cœlum rotarit, Othomano verò ad tẽpus sisterit: ætati fidẽs, vt Epaminõdam Anticratides lacedemonius, à suis proindè μαχαίριως, nominatus, sic hunc mihi Achilem intrepidè expectabo. quod si hic meus stylus vobis paulò obscurior esse videatur, partim, si placet, breuitati cui ne vobis essem fastidio studui, partim verò subiectæ materiæ tribuite. oportuit enim contradicentem propositiones propositionibus coacervare qui quidem aceruus eum splen-

dorē abstulit qui fortaßis oratoro sermoni non deesset. Aliundè prǽterea si qua sit in hoc tractatulo obscuritas à pūctis quibusdam clausulis indecenter intertextis depromenda. is enim qui Typographis Censor praeest quò sibi prima huius tractatus explanaret quædam omisit, quædam immutauit. nam cum anxiè multùm laborassem multúmque operæ in transcribendo (vt minutis totus perfungor) hoc tractatulo consumpsissem, quò meū apud me repeterem animum: fateor me museo exceßisse, rurique opelli solatium triduo quæsiuisse omni tametsi opere Typographi cella incalescente. qui (vt assolet) cum educta lineamenta immisisset domi, inuisaque reportasset. seriò (me inconsulto) cudēda iußit. nec prece aut prǽcio tempus hoc (iminente iam festo Remigiali) exinanire potui. Cogor igitur nè in erroris suspicionem veniam primum huius libelli limen erratis obsignare. Cogore tiam Typographi imprudēti dedecore, facilitate ductus nimia, in angustis parietibus, in inertiquè otio delitessere. Vulpes equidem Aesopica Leonis & Galli gallinacei iudex in dictum certamē inspectura cum à belluino præcone per itineris amfractus, erroresque duceretur: contempto iudicādi pacto fœdere iracunda in præconem sæuit. quam timeo ne his præmissus error à lectione huius tractatus omnes etiam abducat, lectorumque animos à me auersos libelloque suggerat.

Hæc verò sunt errata.

Pagina 1. linea 15. loco (adductus) lege adiutus. in vlti. linea. pag. 1. Albinius loco l. Galbinius & pag. 2. linea 1. acrocormeticæ. l. acrocorinthicæ pag. 2. ver. 18 ludicio l. ludicro. pag. 3. vigeſ. oct. linea (aſſentari loco) lege aſſentatur. pag. 4. lin. 1. l. Agamenon non Agamenoni pag. 5. 31. lin. pro Euripides l. Euripidis cœteros verò leuiores noſtræ facilitati tribuite.



Petri Turrelli Campani et in svpremo Galliarum ſenatu aduocati contra othomani Francogalliani Libellus.



VETERES Romani nullas ſuæ reipublicæ dignitates quā tũuis eſſent humiles, aut paruæ ſi quid monſtri, Inopinatiue die electionis dicto accidiſſet ſuffragijs popularibus cõmiſerunt. Quo more patrio imbutus Cæſar: quia ſuprema vitæ nocte feneſtræ domus ſuæ vi ventorum ceſſiſſent, & ſi extra Italiam exterratum nationum die ſubſequenti à ſenatu rex ſalutandus: terræ, mariſque diademate exornandus eſſet: noctu tamen nocturna per diem indutus veſte ciuilibus officijs quieſcere deſtinarat, feciſſetque, ni Decius brutus Albinus (aduerſo iam Cæſaris fato aductus) diſſuaſiſſet. Tanti momenti antiquitus erat electio, ſi Galbini lex qua Pompeius (ciuis quidẽ nomine) re ipſa vero exterarum nationũ rex deſignabatur: fuiſſet populo rogata. Poſt quā coruus clamore populi, denſo aëre rarefacto è cœlo in terrā decidit: haud ſcio (& ſi apud eos coruus eſſet boni ominis) an Albinius ſuæ legis fuiſſet ero-

Plut in Cæſ.

Plut. in Põp.

Fines enim Alxādria

ratot. Præterea dũ crebris micabat ignibus æther ignisque nube frigida exciperetur, & si suffragantes punctis punctis, tabellam impleuissent: tonitru tamen re infecta, timore puerili domi sese ciues recipere compellebat (vt author est Plutharcus in Dione.) Ferunt Syracusis bouem domitum, non insolentem, neque multitudinis insuetum, iugum tamen reliquisse, concitatóque cursu ad theatrum contendisse: & ni Syracusanorum mens læua fuisset, ni populi, patriæ ve communis erymnis siculorum oculos obcæcasset. Impulsi satis à funesta prætorũ electione discedere, sed forte aduersus numẽ cæcisunt oculi: Numen verò doctiores à prima dionis prætura arguebant, multóque temporis spatio siculos libertate non fruituros, quod Dion primus cùm prætor designaretur horologio vmbratili assedisset. Quicquid sit inde patet, veteres vix suæ reipublicæ statum suffragijs cõmisisse, si prouinciam quidem quamtumuis obscuram non temerè suis crederent. Parum Igitur seniliter Othomanus de regio psiphismate in sua Francogallia scripsit: cùm scilicet regium hoc psiphisma totum regni statum peruertat vt infrà sum dicturus. Sed vereor (ne inexcusatus sermonem proferam) vt qui tractatum hũc præter spem exactè perlegerint simile fortassis eis quod mihi occurat. Atheniensiũ videlicet approbata modo, Improbataue Arati ante pugnam incolorata facies: aut vmbratilis illa Romanæ iuuentutis de deuincendo Hannibale frequens declamitatio, quippe vt antiquæ iuuentutis incertus erat sermo: vix etiam tractatus is certo demetitur fine: sit enim fœlix illa respublica quæ ab æreo psiphismate regatur, aut illa fœlicior cui Daidarus author & reges varij scindunt se sanguine ab vno (vt loquitur poëta) quid nostra tamẽ: Quid de hoc cõtẽdere aliud est quã de colore aereæ chimeræ in-

primo metitũ corui farinam absumpsissent faustum.

fausti alexãdro corui qui ab arenosis numidiæ campis exulem siti ferè enecatum exercitũ volatu eduxerũt Plut. in Alexand. corui etiam carthaginiẽsium cladem polici ti timoleunti Plut. in timo.

regi etiam Francorum Philippo pulchro contra Belgas certaturo pugnæ exitum q illis faustum nuntiarunt vid. annal. fran.

Pluthar. in dione.

Plutar. in ar.

utiliter diſputare aut in modum acrocormethicæ caniculæ, melācholicæ lunæ, fruſtrà oblattare, ſi Igitur tractanda ſint vtilia cum primo à lumine peccet hæc oratio, qualis ſubſequetur finis? Verum illud quod vulgo dicitur incœptum perficiendi addit animum, culpam ſcilicet omnem cauſæ impellenti demandari. Prior itaquè Othomanus (Cui multū defero) mihi aduerſus culpātium tela erit clypeus: quo traiecto telum excipiam quidem vmbone, verum fortaſsis ſine ictu. Sed vrget magis, magiſque ab incœpto pedem ſuadet referre: quod iniuriam vniuerſis illatam mihi arrogarim: qui enim ex vniuerſis offenduntur (cum ſit vulgus ſine nomine) maiores eſſe ſolent: ad quos ſpectat inferiorum naturalis deffenſio: Vniuerſorum igitur qui cauſam ſibi arrogat theſeum (quod aiunt) ſe aſſerit. Inter multos itaque cùm ſim ſine nomine, vniuerſorum cauſam tamen exceperim mihi indecorum: atqui hanc cauſam vniuerſos attingere intelligo, quæ perſonam publicam attingat, Cuiuſque deffenſio quoſlibet, & ſingulos ſpectet: qui ſinguli, ideali abſtractione vniuerſitatem conflant, vt mathematicis eſt notū. Cum igitur ad maiores ſpectet deffenſio inferriorum, eandem mihi arrogare erit indecorum. Nullis præterea ſuboſcuris publicæ deffenſionis prouincia citra mādatum, vniuerſitatiſque Imperium demandatur quæ cū prouidè Camillus inſpexiſſet ferunt (ſi parua magnis detur conferre) nullum fas ſibi gallum adoriri prius extiti maſſe quàm communis vox patriæ pugnam annuiſſet. Recte, vt enim Catoni cenſoris filio non licuit niſi ſecundo militiæ ſacramento hoſtem priuato offēdere ſic nec Camillo licuit publicum hoſtem, Italiæ finibus arcere. Licet igitur (præter ſpem) ſubtili ſtilo Othomani regia ſuffragia deleuerim: me ſemper tamen culpa non demandatæ prouinciæ inſequitur. Ceſar li-

Canis acrocorinthicus qui a crocorinthū hulatu deffendebat quinque milites ſepius ad arma abſque occaſione prouocabat Plutar. in arat.

Doct moder. in l. 2 de ſep. viol adducūt que l. prin. ā cum glo. ff de poſtul. & §. cumque hoc in verb. authoritate in præmio Inſt.

Cic. lib de ſenectute.

Plu. in Cam.

Plu. in Caſa.

cet Cæsar, eique gallia esset prouinciæ, fausteque trecenta hostiũ millia nona regna querentia trans Rhenũ trucidaret, Cato tamẽ ille qui se vtricę vita exemit senatui suasit Cæsarem profligatis reddendum: quod citra facultatem pugnæ cum populo licet fœdifrago, conseruisset. Mihi igitur in omnibus his superioribus dispar citra mandatum in causa publica disputāti quid concedetur? Atqui hæc in rebus quidem status quædam, verũ in chrisippeo stadio (in quo veritas extremum ea nullatenus inspicienda: libera est enim omnibus veritatis inquisitio quæ nec etiã assensu, aut dissensu terlij vitiatur, nec putarim etiam Othomani supercillia me vllo modo subacturum: sed in me potius, discipulũ quid à paucis annis seuisse arguet, si hypomachio gladiatori parũ similis fuerit qui quidem vt ferunt, quos semel duello, Ludicio gladio habilitarat obambulando etiam & incedendo eos agnoscebat. Quæ qualiscumque peccati purgatio nisi fueret firma satis tessera amoris ineumdi Agesilai, & Lysandri more, hastæ arrecto mucrone institutum progredior. Hic vero tractatus sibi solum fere effinxit regalia othomani suffragia inficiari, augustamque strictioribus regni consilijs admittendam, quædam etiam de lege salica quæ clarè omnibus inotescent. Ne igitur chartula hæc sermone solo inutili compleatur: propositas questiones qua poterimus facilitate inquiramus.

Assumptio ad municip. *Arist. li. de interpret.* *Plut. in Dione.* *Partitio & thesis totius tractatus.* *Pla. 2. d. Rep.*

Ac primum de non eligendis regibus.

Non me fugit quosdam fuisse magni nominis authores qui feliciores eas respublicas existimarunt quæ voce libera regem salutarent, quā eas quæ morte vltimò regnantis reges designatos necesçario haberēt inaugurādos. Interquos Athenensis plato: cũ enim fœliciores eas respublicas existimat quæ à philosophis regibus gubernantur proinde regis electionem neces-

ſariò admittit, quia Clearchus Theodectem filium in philoſophia quidem ſibi ſimilem habuit: non proinde tamen quod filius eſſet, ſed quod Clearchum patrem ſagacitate ſolertiáque adæquaret vt ait Plutarchus: Voluit igitur Plato à pſiphiſmate fortunatum imperium manare: & fortaſſis qui cum eo illud exiſtimarunt duabus rationibus hanc opinionem fulciuerunt. Certū enim omnibus eſt electionem dignitatis eſſe: Id eſt eligentis finem eſſe clariorem eligere, ſi igitur dignioribus ſit imperandum: cum nec dignitas, nec morum grauitas ſtirpe detinetur: reges reſtat eligēdos. Altera ratio fuit ciuitates eas melius regi quæ conſentiente veluti ciue reguntur quæ enim volūtariè geruntur, etſi natura grauia ſunt, voluntate tamen mitiora redduntur, melius igitur rex electus quam naturalis. Eas duxi prius rationes ſubuertere, quam quid ſtruere, vt igitur exordiar, fateor quidem, nec quiſquam hominum rectè inficiari poſſit. Electionis finē dignitatis eſſe: verum ſi penes eum qui primariè regatur, regis ſpectat electio: maxime populum ſpectabit, cum is à regibus primarie regatur: Atqui plebs omnimodo dignitatis ignara, propoſita igitur fine denudabitur electio, quis enim ſagacem populum dixerit? aut quem populus antiquitus colendum ſibi effinxit, præter eum qui ſibi aſſentarit? Atqui aſſentatorém quis regno habilem dixerit? cum omnis aſſentator ſibi diffidat, aut certe multum à forti aberret? Anne eum ea populum quis dixerit idoneum pſiphiſmate regem ſortiri: qui ignarus Themiſtoclis formæ, exilium Themiſtocli tamen ipſi inſculpendum ære dederit? ſtupidus, qui cum ſtupiditate parum iuſtus patriam Themiſtocli nihil (quoad ſe) tale merenti proſcripſerit: huicne populo, qui deluſus primò citra ſuſpicionem democratiæ peruertendæ, citra opes oſtraciſmo id eſt decennali exilio amantiſſimum ſibi & ſibi ſi-

Plut. in philadelp.

Cap. licet 8. queſt. lap. Conſtitutus de appell.

Plu. in Nicia

millimum mulctauit? Nicias enim & Alcibiades cùm ostracismi diem proximum intuerentur diuitiis, & authoritati quæsitæ diffidentes: hyperbolum popularem in momento efferunt, elatúmque ostracismo mulctant: sic populus is atticus quem modo contra potentiores audacem nebulonem, & loquacem petulantem habebat, eundem exilio destinauit, exiliúmque adhuc exulis indecentis persona (cum eodem nobiles citra crimen tempore) non meritis plecterentur) contaminarit, de quo sic Plato Comicus.

Καί τοι πέπραχε τῶν τρόπων μὲν ἄξια
Αὐτοῦ δὲ καὶ τῶ στιγμάτων ἀνάξια
Οὐ γὰρ τοιούτων εἵνεκ' ὄστραχ' εὑρέθη

Qui versus ita latinè redduntur,
Quamuis suis dignè passus sit moribus
Se ipso tamen non digna, nec suis notis
Nam non repertum istius est causa ostracum.

Quod tamen primum in electione arch. in cap. lic. 8. quæst. 1. frede cons. 90 Plut. in alcib.

Quis igitur regni sortem populo demandaret? cùm populus sit inconstans, facilis, cum nō discrimen habet, recta ne iudicet, si Alcibiades vbi de vita ageretur matri non credendum putarit, ne ignara mater in colore fabæ peccaret, in irremeabiléque discrimen filium vocitaret haud scio an non maiori cum ratione tanta rerum series populo sit deneganda. Materna enim faba vnius sortem explorat: popularis autem electio multorum vitam, fortunásque subhastat, ac plærumque dilapidat. Non ergo regni series populo tam vario, tam in se contrario, vt vllum velle per horam vix habeat, est committenda quod si licuerit antiqua paucis euoluere. Nulli vnquam populari ore inflati simili pede vitæ stadium perlustrarunt. Pompeius (cui genius paternus quoad amoris conciliationem erga populum inuersus erat) non populares morsus in vitæ catastrophe, in vita occidente (vt idem exprobrabat syllæ) superauit: sed probri loco Aga-

memnoni, in pharsalicis campis agnomen obtinuit: sed & pars populi obscurior peditem armatum tacto pede latio vt educeret, eum exorabat quo sui fiduciam contra Cæsarem iniuriæ loco exprobraret. Demetrius ab Atheniensibus diuum primo honores reportauit, paruo tamen elapso tempore mucronem atticum in se circunspexit. Ferunt & Carthaginenses dum Hannibalis fortuna stabat multis honoribus eundem affecisse, eodem tamen ad zaman à Romanis profligato. Nihil illi oculus patriæ causa obcęcatus, nihil annullorum ingens aceruus, nihil Italicæ victoriæ, tanto sudore bellico quesitæ potuerunt. Tanta plebis inconstantia atque peruersitas. Parum igitur cautus regni clauum huic demandaret. Si præterea plebs (vt iam dictum est) in tantum sit in se varia vt sui velle ferè sit ignara. Pars plebis voce quosdam in regnum efferet pars altera, alterum, quis vero regum nisi victus, semel electo deferret imperium, si quadã manu populari fretus? quis etiam tanto psiphismate se denudari viuens patietur? Inde igitur contentio, inde bellum, inde plebs sibi plagam facit: si potissimum.

Plutarch. in Princip. vitæ Pompeij.

Plutar in demet.

Quicquid delirant reges plectuntur Achiui.

Horatius epist. 2.

Funesta igitur reipublicæ regis electio, si enim apud Romanos diaria, aut annalis prouincia toties campum martium inimico sanguine asperserit, si nullus ferè electionis dies cede, & cruore Romano vacarit, qui regia affectantibus se negligi, & vo[illegible] plebeia denudari in re presertim regia patietur, si tyranni quo liberè tyrannide potiantur in suos iniustè sæuiunt, qua humanitate, vel potius ferro in exteros vtentur? Ariamenes quidem cum Xerxe fratre de regno persico contendens & si armis instructus eois placidè tamen de regno in artabanum consensit, quid si dissensisset? Regno quantas acies, aut strages parasset sed is vnus

Plut. in fraterna amicitia.

Qui male Xerxi adiudicauit l. moris ff. de pœnis.

multis è milibus. Quicquid sit ex his quæ diximus patet regno funestam regis electionem si potissimum sit penes populum: cuius electionis finis & si dignitas sit, haud scio an dignitatis inquisitio popuplo sit defferenda. Rudis enim populus (vt iam dictum est, plus fidit opinioni quã essentiæ, imo ipsa opinio ipsi rei essentia est, & natura vt cum philosophis loquar. Atqui facillimum est etiam parum sapientibus arte prudentiam (vt in hominum mentibus infinitæ sunt latebræ, infinitíque recessus) effingere. Quę cum ita sint, facillimum erit electionem dignitatis fine denudare. Qui igitur asserit digniorem popularibus suffragiis in regni subsellia deducendum, parum, vt mihi quidem videtur abest, quin cum comico dixerit cum ratione insaniendum, sit igitur pręmissa hæc propositio in se vera electionis nimirum finem dignitatis esse, populo tamen si conferatur, falsa erit, sagacitas enim homines à plebe separat cum plebeii dicantur hi, qui hebetes sunt & obtusi, ergo cum populus sit obtusus, vix digniorem eliget. Proceres præterea ferè ommes ea sunt edocti scola vt existiment (& si quandoque temerè) seipsos dignitate excedere neminem, si quis igitur vt dignior voce communi subsellia regia ascenderit: non quo ad quosdam, igitur dignior existimabitur: inde inuidiæ, inde bella quæ quàm populo sint inimica satis notum. Quantis milibus Macedonum Alexandri magni de regnaturo sermo vitam eripuit, quæsitus enim in vitæ decliuio cui mundi prouinciam demandaret, contempto ventre posthumóque, digniori adiudicauit at licet verbum facto lubens permutasset, nusquam tamẽ potuit, licet enim perdicã dato Annulo successorẽ mundi designasset successorẽ tamen nusquã Ptolomeus, Eumenes, Antigonus, Lysimachus, & cæteri in expeditione Alexandri socii, agnouerunt quod si filium regno vocitasset diutius

Plutarch. in opusc. quem scripsit de for. Alex.

forte Alexandri nomen, armáque Macedonibus imperassent. Antiqui poëtæ Troiæ etiam excidium à dignitatum æmulatione deriuarunt prisca enim dignitas in elegantia formæ, seu venustate erat posita, vt patet ex malo aureo cui erat insculptum detur pulchriori, iudicium Paridis spretæque iniuria formæ sed illud inde accidit meo iudicio quod comparatiuum hoc (dignior) seuerit veluti belli crimina, multúmque ad bellum dissentientibus dederit aditum vt scilicet inuidiosum: at inuidia non belli dico comes, sed potius sola radix, & origo. Verum dicent aliqui inuidiam inter æquales solummodo consistere. Reges vero proinde omnis inuidiæ expertes, quod nullos sibi pares in regno habeant. At regem suffragiis ascititium vix eum regni maiorem, & primum existimabunt qui parem calculum, similémque fortunæ aleam subierunt. Atque quoniam magnatũ contentiones hasta, ferróque definiuntur multi regnicolæ opem, armáque socia, ita regi obstantibus, indignatisque proceribus ferent. Cum enim omnibus probis aut improbis honores deposcantur, quia spesiam hostium deuictorum honores, munera, dignitatésque vt victoriæ annexas, victoribus pollicetur. Proindè restat vt probi ad bella accendantur. Sed & facilius improbi cum ἐν δὲ διχοστασίν καὶ ὁ πάνςκακος ἔμμορε τιμῆς, Vt ait Euripides & in dissidio impurus sortitur honorem (detur) sic versum versu parũ elegãti reddere. Coactus enim euripides versus, magis coactũ nostrum reddit, quę si contigerint funesta fuerit reipublicæ electio quę tantæ dissentionis causa fuerit, nullo modo igitur expedit regno cõmuni voce regem formare, sed potius stirpe, & natura iam designato, inseruire. Sed ne is noster sermo sit superfluus, dumque regis electionem asserentibus totis viribus obstamus tamquam themate destituti, in eorum qui con-

tra asseruerunt reprehēsionem (exoptatam credo) incurramus. Videamus an si ipsi qui electionem approbant num eandem à fece populi, aut à selectis duntaxat nobilibus exhauriant, in statu enim democratico seu populari, à populo elicienda est electio sicuti apud Athenienses ἐπίνομοι, apud Romanos consules, apud Carthaginenses duces, apud Syracusanos (vt suprà dixi) prætores voce populari creabantur fieri etiam potest vt Othomanicià nobilibus duntaxat educant regis electionem, ferunt enim Mathiam (cuius effigiem crudelissimus hostis suis ademit, quo Constantinopoli epidromo locaret, atque vt hoc ipso monimento cladis chistianæ oblectaretur) incarceratum regem à nobilibus panoniæ salutatum, sic & apud Sarmatas sola nobilium vox regem efformat, nec vox vlla popularis exauditur vbi apud eos rex est inaugurādus: fieri igitur potest vt qui sectantur Othomanū à nobilibus solum regalem fabam sortiantur: nec proinde tamen eorum verior (cum pace dixerim) & firmior erit sententia sed infirmiori pede meo iudicio claudicabit. Nec enim talis electio, altera erit regno fructuosior quod vt omnibus inotescat, dētur si placet rationum radices longius dilatare. Certum est, nec quisquam hominum cum ratione inficiari possit regno exterum accire, regno esse quàm maximè noxium: eo quod regis ad instar totus se populus efformat: exterum regem accersere, nihil aliud sit quàm veteres patriæ mores inuertere: iuráque municipalia funditus eradicare, quæ quàm metuenda sint Lacedemoniorū legislator Lycurgus satis denotauit: qui vix ilotas seruos Lacedemōe admiserit, qui exteros ab Eurotæ ripa abegerat, monetámque incommutabilem genti vnam, cœteri natura, & pondere inutilem excusserit, si igitur à ciuitate bonis legibus sancita arceantur exteri, maiori

Eurota fluui⁹ Lacedæmon. Erat enim ferrea vt author est Plutar. in Lycur.

cum ratione rex barbarus erit acdus: Ii enim societate singulum tantum vitiāt, & corrumpūt hic vero totam ciuitatem perdit exemplo: si igitur externus regno non sit admittendus: non igitur nobilis pro libidine exterum habebit regem salutare sed eum quem iustiorem patria complectetur. Atqui quis ex proceribus principem ęquo feret animo se neglecto (vt antè dictum est) in assumptione tamen dissimuli, ne repetitione sola aures refricare videar ad regnum accersfere accersitum quis non totis viribus, & telis omnibus licet malè, lacesset: cum omnibus certum destinatúmque sit semel emori, cum iisdem proceribus pulchrum videatur in armis occumbere? Cùm igitur causa necis clarior esse non possit ea quę pro regno paratur, non mirum si vtraque ex parte totis ad pugnā viribus itur. Ferunt Anglorum nobiles (vt nobilium omnium naturam similem vno sermone describam) multum gloriæ & splendoris à morte suorum reportare solitos, si quis enim gentilis vt reuslæsæ maiestatis manibus post terga reuinctis caput in frequenti anglorum multitudine supplex amiserit: proinde asserunt magnum fuisse: proinde quod non hūc virtutis egentem abstulit, atra dies & funere mersit acerbo. Cùm igitur (vt quæ dixi resoluā) pulchrum proceribus videatur multam properare pro vulnere mortem, vt loquitur poëta, cū causa clarior ea quæ pro regno paratur nos ad mortem non vocitet, cùm hæc non quæratur nisi stipato, & congregato milite, milite inquam omni reipublicę infausto: restat igitur vt populo sit damnosa procerum electio, principíque regnum à proceribus irrogatum. Sed quantas argutias hæc ratiuncula nobis (si aduersari honori contigerit) suggeret me enim animum cruore, & sanguine educatū, me (si potens satis) spiritu vētilato martem dicent accendere, me denique parum Christianum qui quod haberem ratione

inficiari, pro ratione tamen ſim amplexus, ſed repetant oro, quod à multis annis à dialecticis acceperunt multum ſcilicet inter rationem quiditatiuam differre, & inter rationem à quo, vt vocant dialectici. Quiditatiua enim ratione, rei natura inquiritur, & hac ratione quod in artibus credendnm, in moralibus faciendum fortaſſis exprimitur. Hæc vero rationis poſtrema ſpecies à re quidem manat, ſolámque rei naturam aſſerit à qua manat, hac igitur ratione vſus dixi quod inter nobiles eſſet frequentiſſimum. Ergo ad cætera, ſubtiliorique, ſi hæc non placet, ratione rem inquiramus. Omnibus notum eſſe puto quod antiquitùs exul Pāthus in Cleomenis exilio, vt efœtam molitiem facilitatemque Ptolomei perſtringeret, frequens dictitabat. E duobus malis ſi minus eſſet eligendum è re melius eſſe tyrannide, quàm licentia nimia regnum gubernari. Nec ſermoni fortaſſis fides vlla defuit quippe in tyrannide exactarum rerum pœnam ſolus tyrannus à ſuperis, & fortaſſis à ſuis expectat, quoſdam interea ciues bonis ſpoliat, nonnullos interficit, cæteros tamen metu virtutibus inſeruire adigit. At vero deteriores omnes vt loquitur Comicus, ſumus licētia (quæ omnibus cum ſit vna) omnes ad delirium adigit quod quidem delirium omnimodo populo dānoſum. Eas ob res antiquitus homerus effinxit ranas quidem à ioue regem obſecraſſe, Iouémque eis trabem ligneam aquæ adnatantem regis loco donauiſſe quæ quidem & ſi (mota forte à ſaturno, lacum omnem luſtrare) ranę tamen tanquam gebæ affixæ ſemper regi ligueo inhærebant : quicquid ſit noua regna querentes ranæ alterum regem a ioue expoſciſſe author eſt Homerus qui tandem illis aquilam δημοβόρον pro rege donauit, ſi quas aquila vncis pedibus a lacu abduxiſſet : vix homerus a gutturali ranarum ſonitu trabem eis regem aquila

meliorem auguratus eſt: Conſtat tamen Iouis aures ternis precibus non incaluiſſe. Quicquid ſit miſſa hæc ludicra fictione poëtica, certum eſt hunc ſtatum reipublicæ ſtrictiorem (quamuis quidem nenter ſit expectandus (licentiori longe præſtantiorem eſſe. In libero enim ſeu licenti reipublicæ ſtatu nulla voluptate maior eſt: cu ra: voluptas malorũ eſca, vt ait Plato. Inſtrictiori vero reipublicæ ſtatu omnes metunt: metus vero diſponit hominem ad virtutis habitũ. Eas ob res vt in ſenatu romano quædã erat effigies ſeduli id eſt diligentiæ qua ſenatus prompte ciuibus litigantibus ius reddere edoceretur (vt author eſt Plutharcus) ſic ferunt apud lacedemonios primmm ante lumen Palatij ephororum templum fuiſſe timori dicatum, ſpartiatiſque nullum ad ephoros fuiſſe aditum: niſi per hoc timoris templum: quo ſcilicet diſcerent ſpartiatæ timore, ephororũ ſanctionibus obedire. Et quia ſpartam ferunt ſtudioſe ſacra deo timori peregiſſe a Symonide recté vocitatum δαμασίμβροτον Conſtat tamen ex priſcis regnis Aſiæ, nullum melioribus ſanxitum legibus, quod maris imperium à victoris faucibus Ardẽtius arripuerit, arreptúmque vi militum diutius retinuerit, hoc ipſo ſpartano regno metu tamen regebatur. Nam Ageſilaus proindè ab Ephoris multatus, quod amori ciuium contra patriæ leges plus æquo ſtuduiſſet. Primos ferunt francorum reges otio, & voluptate ſubobſcuros, vix per annum ſe populo oſtentaſſe. At hęc cõſuetudo non aliumdè (meo quidem iudicio) manabat, quam vt metu liberali gallos ſibi obſequentes retinerent. Nam ferunt Periclem proindè non leuiori ex cauſa vrbem Atticã pedibus luſtraſſe ne ſcilicet frequentius inſpectus à ſuis contemneretur. Quæ rarò enim vidẽtur exoptentur magis: Atqui amor non in ſatietate ſed in deſiderio conſiſtit vt quondam

Attica Lamia Demetrio Respondit. Quò igitur gallorum reges primi, suos sibi obsequentiores redderent, vix per annum semel se populo ostentabant: quo scilicet liberali metu populum retinerent: melior igitur illa respub. quæ liberali metu, quàm quæ licentia gubernatur. Atqui rex gentilis qui à sibi subditis priuatus originem duxit: iisdem semper est contemptui (vt probandum recipio). Ergo cùm externus non sit eligendus, nec gentilis, in ijsque duntaxat versetur electio, constat regem non esse eligendũ. in omnibus suis partibus Dilemma hoc meo iudicio concludit; nisi ea in parte improbata qua diximus gentilem regem suis esse contemptui. Et si verò ex supradictis huiusce rei facilis eliceretur probatio, æquè prompta tamen adest. Ferunt apud Ægiptios quendam Amasim insperatè Ptolomei arma, insigniáque assecutum & regno non insidiantem, ab ęgiptijs tamen regem salutatum. Verum cum in dies ei libera voluntas regnandi cresceret, habuit suorum de se contemptum in obsequium vertere: quod vt humaniùs perficeret, occurrit menti pro foribus regij Palatij vrnam astare: In qua quidem pro more qui se vt regem haberent colloqui pedes aqua ibi apposita cogebãtur abluere. Primo igitur illa superstitiosa aqua hiãti calore terræ aspersa, vrnam hanc cudi, & in ἱερμῆν efformari iussit. Atque pauco interiecto tempore populo muliebri, & superstioso adorandum dedit. Quo viso: ac si Cleomenis ex cerebro enixus iterum serpens, mercurium multis sermonibus exorant: eductàque è visceribus Apis Ægiptij flamma cæca, eũdem incendunt: thuréque exhalato perhumectant. Nec tamen (si historicis credamus) Amasis diutius populum mercurio inseruire passus: quo animo hæc fecisset populo patefecit, sermonis autem instar hoc fuit vt vrna immutata Mercurium ef-

Pluta. in Demetrio.

Qui ab Egiptijs adoratus plutarchus in fine vitæ Cleomenis.

formarat, efformatùmque idem populus adorarat: ſic ſe eum amplius Amaſim non eſſe, qui militem miles intrepidè ſcribat, ſed ſe militum eſſe imperatorem, ſibìque vt imperatori obſequendum. ſed tamen vt ſolus Amaſis inter AEgiptios quē deum fecerat non adorauit: ſic Ægiptij quem Amaſim regem ſalutarant ſemel, inſalutatum incedere toto reliquo ſuæ vitæ tempore inglorium intuebantur. Illa etiam phalanx macedonica cognominata λευκάσπυς id eſt inſtructa albis clypeis quem Eumenem inter Alexandri comites in armis vt excellentiorem pro imperatore & duce cognouerat, quo imperāte tot hoſtium millia ſubegerat, modo ducem duntaxat nomine, modo victum Antigono crudeliter tradidit, quid extra quem legiones Romanæ, modo Imperatorē elegerant, electum clypeis calcabant, aut minus imperio priuabant vt eſt apud Plutarchum in vita galbæ imperatoris. Quod ſi tantæ mutationis, tantìquè contemptus cauſam detur inquirere, depromendam putarim ab inſcitia multitudinis imperitæ. Et ſi enim certum ſit eos qui eligunt, ante electionem quidem in re ea in qua habent eligere his quos eligunt maiores eſſe: quia tamen hoc electionis ius inter multos diffunditur: nemo ſibi priuatim poteſt arrogare. Ius præterea in electo trāſit, ignara tamen multitudo in nouas electiones facilimè (vt nouationum amantiſſima) irrumpit. Nec hoc ignaræ plebeculę, aut barbaris exercitibus familiare ſolum, vertūtetiam & ſplendori lacedemoniorum lyſandro: cum enim Alcibiades exul patria Lacedemone conſediſset : vt quoſlibet ſui temporis homines corporis elegantia, & venuſtate excedebat a timea agidis vxore iuueniliter multùm fuit adamatus. quidquid ſit Alcibiades furtò Heraclidarum polluit cubile, vt Agi tempus à quo rem cum ea non habuiſſet per

cunctans, deceptus cognouit. Ante enim decimum fœtus mensem parum vxorius, nec in ipso fœtus tempore cognouerat. Spurius igitur leontycides (tale enim spurio nomen fuit) declaratus: cum defuncto Agide iure sanguinis lacedemoniorum thyaram exposceret, ignobilem passus est repulsam, in eiusque locum accersitus Agesilaus Claudus pede reclamante etiam Diophithe poëta, qui versus quosdam fatiduos canebat quo claudum à Regno spartico abigeret. Claudum quidem à regno expelledum etiam suadebat Lysander: sed apud deos eum non claudum esse qui pede claudicaret, sed eum qui ab Heraclidarum familia aberraret affirmabat. Quicquid sit Agesilans Lysandro suffragante rex fuit salutatus: qui in tantum Agesilaum sibi deuinxisse existimabat vt eundem facile permittere, penes se regni totius prouinciam, penes vero Agesilaum regium duntaxat nomen remanere, speraret verum hoc nō Agesilai magnanimitas passa sed lysandrū diuidendis exercitui carnibus sagax perfecit quo Iones suo carnium diuisori si liberet inseruirent Lysander igitur ab eo tempore Agesilaum regno spoliare & ad instar imperitæ multitudinis vt supra dictum est herculeam domū thiara defraudare, in publicū que (quo digniores ea fruerentur) referre sibi effinxit ratus æquæ facile enim quem amore & beneuolentia in regnum nexerat eundem odio, & vecordia posse deprimere sicque regiam dignitatem in publicum posse referre. Quo igitur excogitata perficeret orationem a cleone Halicarua seo rethori ediscendam acceperat: quam multis muliebribus oraculis quo maiorem authoritatem haberet oratio interruperat. Non aliter quam postea Cæsariani qui quo Cæsaris regni inuasionem probarent: à Parthis acceptam ignominiam romanis esse vindicandam asserebant. Atqui veteri

Vltimus mē-sis partus apud spartiatas decimus erat, apud Egiptios propter fecunditatē Nili, septimus apud Italos octauus ut apud nos nonus frequentior.

Plut. in Agesil lysan.

teri Apollinis oraculo Parthos non posse subigi, nec ignominiã resarciri, quin prius Romanorũ rex quis esset salutatus: Cæsarem proinde regem esse salutandum. Sic Lysander diuum responsis artem intertexerat, verum non tantum nefas in aduehendo præter leges Patriæ spartanæ auro commiserit, quàm fecisset: si per vitam institutũ perficere licuisset nec vsquam tanta luctus causa τρέσαντας gestare Lacedemonios adegisset, quàm funesta hæc regni nouatio, vrbis igitur Spartanæ dij tutellares in eo se acres ciuium defensores exhibuerunt, quod Lysandrum præter ætatem. Non enim vltima senectute confectus haliarto Boëtiæ oppido sepelierunt. Nec enim tantum Gyllippo auaro ignominiæ priuatæ causam præbuisset: quantam patriæ communi plagam in roganda regum electione attullisset. Multum etiam apud spartanos eius res gestæ splendoris amiserunt, hac ipsa scilicet de regis electione, oratione post obitum reperta, in vulgusque ab Agesilao recitata. Nullo igitur modo regis electio in regno est admittenda. Secunda restat ratio inficiãda quæ maximè regis electionem posset asserere. Ea igitur fuit: propterea regis electionem in repub. admittendam quod semel electo regi melius inseruiant electores, voluntariéque magis omnes, ciuilia subeant munera. Atqui recenti oratione satis probatum fuit: regum electores sibiipsis in electione vix constare, atque etiam quos modò ad imperia voce euexissent, eosdem bilingues inconstanti calculo, ab insigniis imperatoriis, & regalibus eiecisse. Quæ cũ vera sint, vix electores æquiori & lubentiori animo regibus à se electis elapso tẽpore inseruient: cũ ne primo in die, aut primo in lumine imperij inseruiant quidem. Superfluũ igitur fuerit dicere à populo reges eligendos, quo lubentiori animo iisdem regibus inseruiat, cum huic causæ præcipuæ (vt probatum est) ratio

deficiat. Preterea si res æqua lance, sit examinanda ex præmissa hac aduersariorum ratione: sequitur regem habere quasi populi gestis annuere, aut assentiri. Quod tatum à maiestate regia alienum est, vt nihil magis vt in sequentibus pluribus verbis sumus dicturi. Addam etiam quod si libido hæc inconstanti populo concedatur, dantur intestina odia, fenestráque ampla ad nequitiam, & ad necem ciuium miserè aperietur: si enim rex pro libidine creatur, cum in quolibet regno multæ sint plebis partes: multi etiam erunt plebei reges, & quodlibet regnum multis regulis abundabit, verum regulus regulo bello intestino, & populo multum luctuoso insecteretur, funesta igitur populo hæc electio: funestum erit etiam populum æquo animo regi inseruire, cum hæc vltima conclusio immediatè à propositione altera deriuetur. Ferūt Alexandrum cœlum quidem intuentem, mundo tamē magis inhiantem dixisse solitum: vt cœlum non patitur se sole duplice lustrari, sic regnum duos reges nunquam passurum. Augustus Cæsar antiquitus cæteros non solum dicam sui temporis verumetiam alterius cuiusuis seculi clementia, & facilitate morū superauit: is tamen Cæsarum multitudinem improbans, crudeliter Cæsarium Iulij Cæsaris & cleopatræ filium necari iussit, vt est apud Plutarch. in Anthonio. Quid si inter reges humanior, quid populares, & plebei reges fecerint? Plenæ sunt historiæ, plena antiquorum monumenta, extant & regum aliorum ab humanitate aliena multa facinora: quid si reguli in suos sæuiunt, quo liberè videantur sibi regnare, quos in exteros putatis fore? quid si tales domi, quales erunt foris? Romulus non proinde credo, quòd Remus saltu inchoatæ Romæ muros superasset, sed quod annuis vicibus indecorum sibi cum fratre Romæ regnare duceret, ipsum interfecit, futilis autem causa, hanc eandem quoslibet augurari adigit. Et vt veteres ma

thematici priusquam quid de arte sua addiscentibus patefaciant, sibi axiomata sine probatione dari, concedíue exposcunt. Sic antequàm reges antiquorũ, diademate ornarentur cædem suorũ crudeliter exposcebant, qui quidẽ reges filii eos qui quadam spe regni, si vita excessissent, ducerẽtur, tales fuerint, quales in eo affuturos existimandum, qui aperto marte tale è faucibus talentum nituntur abstrahere? Iulius quidem Cæsar iuris, & æquitatis interruptionem regum affectantibus permisit. Et si non permiserit, inuicto eodem, æquo consentaneum existimabant penes se solos rerum vnam esse potestatem, ergo proh dolor, regulus regulũ æquum æstimabit interficere: verũ probatum est plebeiam illam regum electionem, plures reges conflare: mutuo igitur regulorum odio hæc electio improbatur. Nunc restat vt hoc subtilioribus rationibus inquiramus. Si vt dictũ est suffragia multos reges admittũt, eadem necesse est naturæ repugnare: quia regia dignitas, dignitatum est prima. Atqui mathematicis est inauditum duo comparata prima esse posse, sed ex his alterum, vnum necessariò est primum. Cùm rex igitur regi conferatur, rex vnus erit: plures ergo reges cũ admittat electio, certissimum est hanc ipsam naturæ repugnare, quæ quidem natura tamen, in omnibus potissimum est sequenda, vt author est Cic. in dialogo de senectute, sed dicent aliqui. Cur igitur tandiu stetit sparta? cum infiniti solis ortus, & occasus Mari eandem imperantem vt supra dictum est despexerunt? Cur & ipsi romani rerum domini? Primi autem reges duos, hi verò duos consules qui ciuitati prospicerent habebant. Nam apud spartiatas quidam theopompus reclamante tametsi vxore Ephoros, id est speculatores & correctores regum creauit penes quos omnis reip. spartanæ status erat, non certè penes reges. Nam vt apud Persas quidam

exnobilibus ad hoc institutus, Manè semper regem excitabat, e que è somno excitatato dicebat. ἀνάςα ὦ βασιλεῦ, ϗ φρόντιζε πραγμάτων ὧν σε φροντίζειν ὁ μεσορομάσδης ἠτέλησε. Id est, vt verbum veibo reddam, rex surge & curam habe harum rerum quarum te curam habere voluit mesomorasdis, vt igitur mesomorasdis molitiei persicæ imperabat, sic theopompeiani ephori regibus lacedemoniorum. Archidamum enim regem mulctarunt exilio, quòd scilicet paruus cùm esset, paruam etiam corpore vxorem duxisset, proindè quòd ex eadem regulos, non reges suscepturus esset: nec tamen etsi peracutè respondisset emalis etiam minora eligenda: vnquam ephori montem exulum consuluerunt, quo cœlum fixis oculis, immota palpebra intuerentur vt si forte viderent crinem volanti ductum à sydere Archidamum priori fortunæ restituerent. Plistonax etiam vt omnibus est certum mulctatus. Isadas vrbē spartanam nudus, vnctus oleo, fidens hastæ, & clypeo, multos hostium fudit: atque etiam eius rei gratia ab Ephoris coronam reportauit, verum cum sine armis decertasse sibique solum, non patriæ natum se existimasse iidem resciuissent, mulctarunt. Leonidas rex actus etiā in exilium Cleombrotus, sapientis chylonis maritus (maritum chilonis vocito quia nobis chilonis virtus, non ipsius Cleombroti res gestæ illustrem reddiderunt) pari exilio ab Ephoris punitus. Agesilaus etiam, vt suprà dixi, ephororum mulctam pecuniariam persoluit. Is enim cum ciues omnes sibi deuincire studeret multósque iam in sui ipsius amorem adduxisset, mulctatus. Ciues enim comunes esse: itaque non priuato amore deuinciendos. Atsi causam deturreddere exactiorem, ea quæ suprà diximus reddam cum Plutarcho in Agesilai vita, proinde Agesilaum damnatum, quod vt phisici omnia constare putant

Pluta. in Agesi.

Mos antiqu⁹ lacedemoniorum quo priori fortunæ reges non nisi inconsulto monte restituebantur Plu. in Agesilao.

naturis in se pugnatibus: sic Ephori tum demùm suam stare rempub. existimarunt si inter reges & populum quiddam esset discordiæ. Quos in eo sectatus fuit Cato maior, qui semper quid discordiæ inter suos serebat quo scilicet timerent: ne in iurgio eis ignauia culparetur, officiosiúsque illi ipsi inseruirent. Sic antiqui prudentes œconomi nusquam seruos natione, & lingua similes habebant, ne scilicet sermone, amore conciliato, quid peragendum esset negligerent, verum hæc omnis diuersitas ad vnum tendit, vt enim Physicorum naturæ repugnantes, & omnes diuersitates dyanoiticæ stent, vnitas necessaria. Præterea Ephororum collegium erat vnũ: quòd quidem cum regibus spartanis quondam imperasse diximus, regem vnum spartæ fuisse diximus. Nunc de consulibus Romanis. Et si vero senatores pro more calceos, insculpta super his luna oriente, adornarent: quo vt luna à sole sic suum à consulibus splendorem omnem dependere manifestarent. Constat tamen antiquorũ Romanorum consules nihil inconsulto senatu fecisse: atque si quód agendum esset quod subobscurum videretur, senatus ab iisdem primum consulebatur, quod si quid eodem inconsulto fecissent, constante quidem consulatus tempore perdurabat: Exacto tamẽ perpendebatur, si iustum retinebatur, sin minus remouebatur. Nec enim in eo personarũ consulum, aut vlla prætorum ratio habebatur: sed solius duntaxat æquitatis. si quidem Cicero memor iniuriarum à Claudio acceptarum: primo functa Claudii prouincia, Claudii audaciã senatui patefecit: patefacta vero quæ dignitatis tempore leges rogatæ, vt à nefario latæ, abrogarentur cõcludebat: Cato verò minor, qui sibi postea vtice vitam exemit, dissuasa primum Ciceronis oratione. Cùm leges Claudij tempore quidem dignitatis latas, verum ita senatu annuere dixis-

Mos antiquorum Romanorum lunã calceis insculpere. Iuuen. saty. 7. appositam nigræ lunæ subtexit alutæ & Plu. in Prob.

Pluta. in Cicer.

ſet, vt non iam Claudius ſed ſenatus ipſe rogaſſe videretur: facilè Ciceronem fudit, ſicuti etiam quæ leges latæ tempore barbarii Phillipi perdurarunt, cognita tametſi eiuſdem generis obſcuritate vulgata l. barbarius Philippus ff. de off. præt. Ex iis igitur patet ſumma reip. Rom. penes vnum duntaxat ſenatum fuiſſe. Atque etiam ſimul atque in ſuſpitionem periculi inciderent romani, ſimul, aut dictator vnus aut etiã vnus conſul eligebatur. vt in pharſalica ignominia Pompeius, vt eſt author Plutar. in Catone minore. Ex iis igitur patet ſumma & regni lacedemonici, & reip. Romanæ penes Ephoros, & ſenatores fuiſſe qui & ſi multitudine, & numero plures, collectiuè tamen vni cenſendi ſunt. Et ſi igitur plures ſparta reges habuerit, roma plures conſules: quia penes vnum ſumma vtriuſque reip. conſiſtebat. ab vno itaque duntaxat gubernatas cenſendum eſt. cum igitur (vt reſoluamus) Electio plures regulos admittat: regum pluralitas ciuitati ſecundum Homerum non ſit admittenda.

οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίεις εἷς κοίρανος ἔσω
εἷς βασιλεὺς·

Quem verſum ita latinè tranſfero. Non iuuat à multis arces dominarier vrbis, Rex vnus, reſtat vt electio ab omni ciuitate arceatur. Verum quò accuratius quæſtionem hanc ſubducamus: detur ſi placet rem altius exordiri. Omnibus certum eſt nihil minùs nobis dignum eſſe, quàm non reſpondere in amore, vt ipſa Ciceronis oratione vtar, his à quibus prouocamur. Illud innatum eſt omnibus, ſimúlque cum lacte videmur quaſi ſuxiſſe. Ita vt is amor non arte effictus, ſed ſola natura ſatus videatur: ſic proindè populus Romanus antiquitùs modò applauſu, modo hilari voce eorum conſulum ſermones excipiebat qui ſibi erant animo, & quos adamabat: adamati vero conſules etiam omni

Notanda ſi placet hæc clauſula tanquam perlongæ diſputationis fundamentum.

modo amori populi reſpondere conabantur, vt ex Graccorum hiſtoria, ex Iulio Cæſare facilè videre eſt. Qui igitur volunt populum æquo animo regi inſeruire: coactè volunt etiam regem parũ regaliter ſuis annuere, & ſuis applaudere. Attamen hoc à regali munificentia delirat, vt eidem nihil tam contrarium eſſe fortè videatur. Et certè iuuenis quidam Lacedemonius colluctanti in Pancratio fortaſſis inferior, cùm Spartanum ſe halitu non dixiſſet, mulctatus, vt eſt apud Plut. At mulcta Alexandro rectiùs cõpetet qui citharæ ſonitu delinitus primùm, citharã à citharedo, quò fidibus pulſaret, acceperit, decuit enim Alexandrum, Alexandrum eſſe. Iuuenem verò Spartanum ſolùm Sparta ſatum: regem etiam apud ſe ſuorum oblectari dexteritate, non verò ſuorum dexteritatem aut æmulari palàm, aut iocoſè ſuis arridere. Is enim riſus, & tanta (vt ſupra dictum eſt) regis facilitas, regẽ ſuis reddit contẽptui. Reges verò indifferenter dicere populi factis habere annuere, parũ (meo quidem iudicio) eſſet cautè dicere, quia concitato populo ſe facilem aperire: ad inſtar eſſe hominis ignem extinguere conantis, lignum igni addere. Imperiti enim crudelitate & ferocia, politici verò blandiciis & humanitate comprimuntur. Cùm itaque ſeditio vt plerúmque à populo impolito oriatur, ſedenda etiam crudelitate fuerit. Proindè etiam iuriſconſulti primos ſeditionis authores deprehenſos ſine vlla appellandi facultate obtruncari iubent: tantum abeſt vt voce blanda inflamatum populum ventillent. Virgilius tamen in ſeditione publica alium ſuum principem effingit.

Moder. doct. ſ in vulg. l. quis quis in verbi gladio ferian- tur Cod. d l. Iul. Maieſt.

Ac veluti magno in populo, cum ſæpè cohorta eſt
Seditio, ſæuitque animis ignobile vulgus
Iámque faces, & ſaxa volant: furor arma miniſtrat,
Tum pietatẽ grauem, & meritis ſi fortè virum quem
Conſpexere, ſilent, arrectiſque auribus aſtant

Virg. pri. Aeneid.

Ille regit dictis animos & pectora mulcet.

At is Virgilianus princeps, princeps est dimocraticus qui proindè popularem seditionem sedat, quòd similem cum populo subeat fortunam: secus tamen si ei populares minarentur, vtcúmque sit, & vt ad rem redeamus. Philopœmenis factũ nusqnam (meo iudicio) quis probarit: qui dux, & prætor Acheorum, quò megarensis hospitis vxori tamen crederet: clamide deposita, ligno, & cœnæ sibi præparandæ ministerio insudarit. Melius Epaminundas qui rebus gestis à fece populi seductus, & separatus: à publica etiam lætitia sese exemit: nam citra belli suspicionem telo per noctem Thebanorũ oppidum circuiuit, qui si rex? maiori certè cum ratione ab assentatione publica sese exemisset. Vlpianum quidem ferunt festorum multitudine ad lusum sæpius populum vocasse: inauditum tamen eundem ab imperiali magnanimitate delirasse, populóque blandè collusisse: verũ potius si pari cum Augusto erat animo (qui futuram reiplublicæ Romanæ perniciem à vulgari nobilium cum popularibus consuetudine augurabatur (vt multis in locis scribit Plutarc.) suos à populari cœtu auocabat Vlpianus. At eidem Vlpiano multùm dispar. Mithridates rex ponti, qui non lusus populares aut baccanalia abhorrebat: verum Baccus erat idem, sordidéque suis immiscebatur. Si verò Demosthenes Philippum spongiam appellarit quòd crateras quolibet vino plenas exinaniret: quo nomine Mithridatem appellasset si eius vitæ actum solam potationem recitiuisset? dubitasset credo an Ilotæ Lacedemoniorum serui naturæ excellentia eundem excessissent: si certus, Ilotas non nisi coactos (quò iuuentus Spartana hoc exemplo vinum abhorreret) animi seruilis functiones vino peruertisse: hunc verò suos vino excedere fœdissimè, pulchrum existimasse, sed si hoc Mi-

Improbãtur regum studia ludicra quoindè inferatur reges non debere populo annuere.

Plut. in Philo.
Aemili. prob. in Epami.

Plut. in Dem.

thridati pulcrum, cõpotoribus pulcrius: pulcrissimúmque regno ascriptitijs assentatoribus videbatur. Verum series & methodus vitæ quæsitę quibuslibet ludum suggerit. Cæsar enim iuuenis adhuc cum Romæ incederet, legatósque cuiusdam exteræ nationis plus æquo simijs oblectari conspexisset: a suis quæritasse ferunt. Num legatorum patria puerorum esset ferax ? quo scilicet annueret, ratione rei, & ratione personæ legatos hebetes. Et rectè, nam & si ludus animi sit applicatio ad aliquid , & si ipsum nolle oblectari (si ita sit dicendum) isdem sit ludus: Si à serie tamen vitæ delirarit, Iam ludus deridendus. Quod inductione iam probemus: antiquorúmque regum derisos ludos (si quidem huc nos vocitat sermo vt patebit infra) exploremus. Si prius supplex eos obsecraro qui huc husque me perlegerint mihi de officijs regalibus ita liberè disputanti ignoscant. Tractatus enim is qui potissimum de regio phiphismate loquitur: me ita de ijsdem adigit loqui. Quæsita itaque prius venia antiquorum regum iocosa, derisaque a suis studia exploremus. Attalus (vt ferunt) quia in hellebori radice in ortulo fodiēda multum studij posuisset, a suis ἰατρικῶς vocitabatur. Rectè, non enim habuit herbæ radicē fodere, sed suæ gentis vitium extirpare regnúmque legibus perpolire. Ærotus etiam Macedoniæ rex in scamnis ferro poliendis cõtempto tubarum sonitu cõsenuit: rex sanè dignus Imperio, si Macedonum mores pari quam scrinia ardore attractasset; Arcacide bactrorum rex in retibus nodandis omnem vitam ferè consumpsit: qui etiam obindè illud elogium à suis reportauit nauicularijs scilicet artibus , quam regalibus fuisse instructionem. Artaxerxes longimanus meliorem suæ ætatis partem in adæquando filo longiore manui cõsumpsit: qui cæteris minùs meo iudicio culpandus fuit. Molidici enim per-

Plu. in Peric

Plut. in dem.

Anth. Gue. Hist. Epist. 3. tom. pri.

ficæ molities : Cæteri verò & si parùm homines, hominibus tamen imperabant. Quidam etiam Lydorum rex ranas non hostes fallere Retibus piscatorijs, non per helepolim demetrianam contendebat. Anthonius amore Cleopatræ insanus : quo cum illa tempus tereret: hamo pisces decipere occipit : verùm quo Cleopatram piscandi fortuna excedere videretur, quibusdam ex suis aquæ adnatare, hamóque pisces alligare imperat : quod cum despexisset Cleopatra vni ex suis suffocatum piscem iussit retibus Anthonianis inuoluere : at simul atque suffocatum eduxit, ab eadem derisus Anthonius, acutè quidem linque Imperator insulanis insularia, quæque sunt Imperij vt Imperator cura. Si igitur ob id reges reprehenduntur, quod ioco plebeij fuerint, multomagis igitur si populum demulcerent, essent reprehendendi. Cum igitur paria sint, & vna : populum æquo animo regibus inseruire, & reges populo demulcere vt suprà probauimus : Si igitur vnum ex cōiunctis his, sit inauditum, inauditum erit & alterum cōiunctorum. Atqui pluribus verbis reges non habere populo assentire, & annuere diximus, diximus igitur populum non habere æquo, aut æquiori animo regibus inseruire. Futilis itaque regum electionem asserentium ratio, quæ quidem quasi reges adigit populo inseruire. Atqui nihil maiestati, & splendori regio tam contrarium, quam reges suis arridere, atqui nusquam illi se maiestate regia debent exuere. Et vt caducea virga hostes ab hostibus separat: Sic regius is splendor, sic regium hoc instar regem a plebeijs segregat, & abducit. Quātis quæso verbis sera posteritas eos imperatores contempsit : quos non dixerim solum in ludicris verum etiam in serijs demisso splendore regio vilissimæ plebi sese assimilasse resciuerat? Sertorius cæteris Romanorum Imperatoribus

Machinia bellica à demetrio inuenta qua tutò vbi hostili minabatur.

Plutarc. in Anthonio.

Conclusio prioris inductionis.

si fortuna inferior, bellicis tamen artibus instructior: in eo non bellicosorum reprehensionē superauit: qui multis instructus copijs, martem tamen singulum vetulo Metello per præconem indixerit, in eoque Metellus se Imperatorem magis demonstrauit cum se non vt militi cuilibet, sed vt Imperatori occumbendum præconi responderit, nec vlli tunc fuerunt qui Sertorium culpa eximerent (licetque eius conditio) fortunaque, & vitæ series inspiceretur, licetque suæ originis primus esset, nullamque a parentibus gloriam mendicasset, proindéque sensus omnis illi victo, aut victori, hoc marte extingueretur, plus enim apud antiquos Imperatoris decus potuit, à quo manifestè Sertorius delirarat. Si præterea dies prælij in regno commissi regno dies is sit summus & fatalis, quis in Gallia cum Edouardo Anglorum Rege Regi singulum certamen annuisset? Male calicratidas Lacedemonius cuius, vitæ augurium cum minaretur, vati respondit in se spartan virum perdituram: quòd scilicet dux cum esset: omniū in se salutem complecteretur. Sed melius Thimoteus quiquidem cum vidisset quendam cares nomine apud Athenienses clipeum sagittis traiectum atheniensibus ostentare: quā me (inquit) puduit quod mihi oppugnanti samo me prope telum adhæserit: quod scilicet me precipitātiùs gessissem quam tanti duci exercitus & imperatori conueniret: & certè multùm abest en quis parui vitam, aut multi virtutem fecerit vt dicebat cato. Sed quorsum ante Anthigonum, & Hannibalem vt quondam attic⁹ Orator de armis loquor? vt certè intelligatur indè & si arma apprimè regibus quadrent, reges tamen si vt quilibet milites gregarij, se marti credidissent culpatos, nusquam habere igitur sese splendore regio exuere. Ergo nec populo arridere, ergo nec populus pro suo arbitrio

Plut. in Pelo.

Plut. in Hanniba.

regendus. Ergò qui asserunt electionem quo meliori, & æquiori animo populus inseruiat regibus, malè quidem asserunt. Qui quidem sorites si sit obscurior veniam exoro. His igitur ita pertractatis sermonem vlterius proferamus, probemúsque regi solum omni éxclusa plebeia voluntate esse credendum, nec plebi vllum velle concedendum, quod facillimum si mihi demadis detur elogium. Is enim demades (si Plutarcho credamus) regno eductas copias, regni fæcem eductam asserebat, exercitúmque a regno conscriptum regni pestem proscriptam vocitabat, at quondam etiam meo quidem iudicio, Clichonius ille apud nos præfectus militum, prouidè sese demadis opinioni subscripsit. Icto enim cũ Anglis fœdere, gallicas quidem cohortes nõ proscripsit ne videlicet proscriptæ, bellicis tumultibus assuetæ: in viscera vires verterent: neue fœdus ictum rumperent: sed quo cloacam a gallia auerteret ad turcas cohortes relegauit: ratus aut quid armis quæsituras, aut certe easdem turcam deleturũ, rectè, si Anglus bilinguis nõ fuerit, vt eamque sit exercitus cuiuslibet regni pars vilior. At qui populus regni pars est obscurior, ad instar igitur est exercitus. At qui Æmilius in Macedoniam a senatu missus quo persei dilatam victoriam, & Imperatorum segnicie, & torpore interruptam, Romam reportaret. ferunt legiones Romanas in Macedonia reperisse: quæ a militari disciplina multum delirabant, hæ scilicet modò a tergo hostem adoriri, modò a fronte Aemilio suadebant: Verum non tulit hæc Amilius sed primùm militibus velle voluit, arma quocunque in loco acuere: quæ supra consideranda, se considetaturum. Fabriani milites propter suum velle in quod discrimen luculum in Asia demiserunt? at in totum militibus Lacedemonijs dissimiles qui

Vide annales franciæ.

Plutarchus in vit. Galbæ Imperatores.

ne velle quidem habebant aliud, quam quod illis rex irrogaret, si igitur exercitus sit similis plebi, si exercitus velle omne per Æmylium corrasum, nullum igitur velle plebi admittendum quod quidem velle si ei admitteretur: quo pede staret respublica? an per diem stare posset incolumis? an Cameleontis pellis à Cameleonte colorum dissimilitudine in tantum discreparet: quantum in se illa respublica quæ voluntate populari regeretur? Si nullo modo igitur velle plebi est admittendum, plebs non habebit æquo, aut æquiori animo regi inseruire, cum ne animũ quidem, aut velle habeat. Ex his itaque eorum qui nobis aduersari possent deletæ sunt rationes, ad cætera nũc pergamus, suprà in principio huius tractatus diximus electionẽ antiquitus magni fuisse momenti: Asserentium cum Othomano electionem rationes deleuimus, non tam in eo vt Aristotelicam methodũ insequeremur, quam quo sermonem hunc firmioribus nodis deuinceremus. Quidam igitur ex veteribus electioni diffidentes, atque ne electionis euentus parum faustus, cognitis electoribus imputaretur, totam electionis tesseram fortunę demandabant: vt qui fortuna maior cæteris etiam imperaret, talentúmque seu regni tiaram inhiantibus cæteris præriperet. Persæ inter omnes nationes (vt infra dicemus) regni mutationem perhorrescentes inter se consenserũt ei tanquam regi se obsecuturos cuius equs primo inhiniret. Serui pœnorum postquam nocte vna Carthaginienses dominos crudeliter ad vnũ vsque trucidassent, sicque sanguine, & cruore libertatem recepissent: à tanti exitu exitij, regis inaugurandi augurium desumpserunt: iuraruntque vicissim cum primùm in cæteros regnaturum cui sol primo sese obtulisset. At ferunt vnum ex ciuibus senioribus (qui vitam a seruo humaniore forte exceperat) seruo consuluisse al-

tiores domos ſole ex aduerſo intueri: qui ſeruus cùm auroram conſpexiſſet ſeruorum rex, ſeruus fuit proclamatus. Item apud Sarmatas (ſi hiſtoricis credamus) regem ſalutandi ritus fuit ab equis etiam deſumptus: nam qui in dicto electionis die cæteros equi curſu ſuperaſſet, cæteros etiam dignitate excedebat, certi verò maculati erant equi in quos regnum affectantibus erat incedendum: equiſque ſingulis definitum ſtadium, qui igitur ſtadij calcem primus attigiſſet, is regni Sarmatici habebat prouinciam. Apud Romanos etiam ab auium multitudine numeroſa, rex deſignabatur, vt omnibus ex Romuli & Remi patet hiſtoria, ſed harum fortunatarum electionum fundamentum paucis iam inquiramus. Darius igitur Perſarum rex qua arte regno potitus? is ipſe cùm tempus electionis iam adeſſe intueretur, viãque qua fauſtus hinitus equi quæreretur à ſociis reſciuiſſet: duobus ſeruis rem omnem aperit: imperátque ancipiti via equam vnam primò in limine viæ duci, equũ alio loco propius: habenis igitur equi laxatis venere expletur, expletum ſtabulum excepit, exceptumque dies vix abortus excluſit, fauſtéque Darium equus memor hinitu equitantem regem proclamat. Atqui quis non videt in electione tanta multum ſubeſſe fraudis, quis equo, equo tamẽ efformatũ Regem Darium rectè regnaſſe dixerit? quis etiam electionem hanc fortuitã crediderit, cùm pelaſga & prudenti arte ſit efficta? cùm eius euentus quoad cæteros quidem, quoad Darium tamen vita æquè certior? Quare ſi procerum perſarum manus inulta ſe deludi paſſa mollis effœtáque fuit: ſin vlla, funeſta hæc regno Perſico fuit electio. Romulum primum Romanorum regem conſtat vani augurij ſuperſtitione fratem remum obcæcaſſe, credulúmque fabella anili regno priuaſſe. Nec ſeruorum meo iudicio clarior regis electio, nam cum à cæde

ciuium, dominorũ ſanguine, obſcuróque ſeruorum fatore inchoarit, vix in actu extremo ſerua fuerit: ſerui denique ſeruili non punico præditi ingenio qui ſolis radios non dicam pro ſole ipſo, ſed repercuſos radios ſolem nominarunt. Rectè ſi phantaſma phiſicorum ſit naturalis homo hebetes, igitur qui ſe ſophiſticè in cauſa regni præcipuè tam ſupinè paſſi ſunt illudi. Quid moror? ſit iuſta quantumuis hæc electio, ſi audéque careat: actus tamen ſeruilis qui nullus tunc temporis habebatur, ſuadet hanc periodum celeri greſſu peragrare, actus enim nō quo aperti, ſed quo concepti inſpiciuntur. At Sarmatica regis electio ſic ſe habet. Cùm primi & ſecundi regis ſoboles deſcendentium nepotum morte eſſe extincta ne Sarmatæ in procerum palatinorum imperium miſerè iterùm deuenirent ſibi maturè regem fingunt ſalutandum. Maculis igitur deſignati & regno fatales equi ſtant, proceres verò talentum tale quæſituri accurrunt vndique: At vnus Leth nomine ſociorum ſtadium ferreo impedimento adulterauit: quippe acuta ferrea arenoſo pulueri ſubtexit, atque cùm die electionis dicto campus ab equis obnixè calcaretur ferro retardabantur equi, & huius Leth planum erat ſtadium, nullóque ſtratagemate perpeditũ qui quidem cum tanto dolo ſumma ſtadij attigiſſet rex fuit ſalutatus. At vero tanto dolo (ne quis fortè hanc electionem dolò & fraude carere exiſtimet) nihil meo iudicio abfuiſſet, ſi in ſimili ſtadio ſociorum victor is extitiſſet, quod facilè (ſi equi greſſus nulla arte altera accelerari poſſunt) ſi omnem equi calcem ferro armaſſet ſubtilius enim & citra vllam ſuſpicionem fraudis regnum occupaſſet. Fraudem verò verbis inquirere (vt iam dixi) omni ex parte mea opinione eſſet ſuperfluum, patet enim ſatis ab eo ſubtili ſtratagemate ferreo ipſam Sarmatũ coronam furtim ſubreptam. Fuerunt etiam a-

L. ambiguitates in fi. cod. de teſt. l. ſeruum de ſeruis export.

pud veteres permultæ alię electionum species quæ si non regni summa sortitæ, electis tamen aut fælicitatem, aut securitatem pollicebantur. Ferunt quondam Thimoleontem pugnæ proximum funestum suorum murmur exaudisse qui vt temporis præceps ferebat occasio murmuris causam perquisiuit: perquirente verò bellicosè centuriones, & magistri militum visi qui inter se de prima hostium feriendorum dignitate irrogata contendebant. Quæ cum Thimoleon vidisset: ne dum iudex, militum fauorem in bellicis tumultibus faustum amitteret, totam murmuris causam sorte voluit definiri: voluítque eius militis annulum quem primò fortunatè eduxisset, huic militi honorem primum hostes adoriri, sumpto igitur pallio subobscuro, digitisque contendentium militum annulo denudatis Thimoleon fortè eum annulum qui (vt in Artaxerxis saltantes erãt Caryatidæ exprimebantur) in pala victoriam insculptam referre aperit, quo viso militibus ordo nullus curæ: sed vix accepto pugnæ signo, vix è castris accepta excedendi facultate, vndíque tumultuosè hostes inuadunt, atque vt fœlix erat augurium, sic ipsi fortunæ filio breui hostiũ dedit spolia: sicque multo absque suorũ sanguine insignẽ Thimoleonti dedit victoriam, quæ qualiscumque fuerit militum, tamen virtute fuit quęsita quod pugnæ ardor satis arguit. Milites sanè a Pericleis militibus multùm dissimiles: qui etsi nauali prælio fusi, etsi eis nauis samiana ignominiosè fronti à Samiis fuisset insculpta, nihil tamen his moti aut excitati octo diuisi partibus vrnam frequenti applausu cingunt: ac ferias, otiáque ab alba faba segnes expectant. Pericles autem maritimos credo inuásores pertimescens, quandã cohortem ex his otiari, & delitescere in nauibus imperat bellicosè. Verùm albi milites parum in eo se homines attici exhibuerunt quod à bello
feriari

feriari æqum existimarent. Milites verò quò sibiipsis obortum gaudium cæteris patefacerent feriatum diem album vocitarunt. sed fortis contrà potius diem hunc subobscurum vocitasset, quod in eo scilicet nihil homine attico dignum peragere licuisset. Hæ sunt antiquorũ quędam electiones quas nemo (meo quidẽ iudicio) approbarit, cùm potissimum fiat fortunę: cùm fortuna nullomodo sagax sit aut prouida (cum volubili globo subsistat, oculósque obscura caligine habeat obcœcatos.) His igitur ita peractis subtilioribus rationibus regum electionem paucis improbemus: eandemque primo non posse subsistere dicamus. Si igitur tanta hæc regni quæstio quæ ferro & sanguine plerúmque definitur, doctorum nostrorum opinione examinetur: mihi facilis victoria. Baldus enim specificè cùm de regni electione loquitur in cap. quia propter de elect. nullam tum demum regis electionem asserit si à solo populi clamore, strepitu, applausúue promanarit. Rectè sane: nam si Pamphilus seruus Titij clamore plebeio sit manumissus: non proindè Pamphilus vinclis seruitutis erit solutus l. si Prius, qui & à quibus manumiss. l. decurionũm ff. de pœnis. si igitur populus non potuit Pamphilo libertatem donare, multo minus igitur liberum liberorum regem potuit proclamare, sed facilis fortasse prima fronte huius rationis solutio videbitur. populum quidem in Pręiudicium Titij nõ potuisse seruum Pamphilum manumittere. rationem tamen esse diuersam: diuersitatẽque in eo sese aperire dicent quòd contra hypothesim huius rationis populus ius habeat regem salutandi: manumittendi verò Pamphilum, nullum illi competere: fingamus animo subiectæ quæstionis aduersariorum responsionem plausibilem (quòd contra.) Tamẽ simulac fuit populus, respublica, ac ciuium vnitas: in eodem in-

Indè prouerbium dies albus: indè quidam regalem apud nos sabam deriuatam asserũt.

ſtanti fuit etiam numeroſa ciuium multitudo. Atqui de neceſſitate neceſſaria conſtat in omni multitudine primarium aliquem eſſe (vt in mathematicis certiſſimũ eſt.) Cõſtat igitur hac ratione apodictica: nullum ius populum habere regem ſalutandi. quia ſi ius populus habeat, à ſolo tempore habuit. at contemporanei ſunt; regum igitur electionem iniuſtè ſibi arrogaret vt iam ſumus dicturi. ſi prius electionem popularem non poſſe ſubſiſtere dixerimus. Certiſſimum omnibus eſſe puto illud pſiphiſma, illamque electionem adulteram eſſe quæ non à mera eligentis voluntate promanarit. Bald. in d. cap. quia propter de elect. C an. licet viij. quæſ. 1. ca. miramur lxi. diſtinct. Bartolus in l. 1. §. penult. ff. quod vi. aut clam. idem Bartol. in tractatu de tyrannide. Atqui populus nullum habet velle ni quæſititiũ, ſolo enim lucro inhiat: cùm qui ſibi plus pollicetur cæteris prefert deſignàtque imperatorem vt luce clarius eſt ex his quæ latè Plutharcus in Pompeio, Cæſare, Galba imperat. potiſſimum ſcripſit. At nemo meo quidem iudicio dixerit velle, velle cũ cauſa ſed cauſatum velle, eſt queſititium à cauſa nempè deriuatum moderni doctores in l. 1. §. perſuadere ff. de ſer. corrup. Rectè quidem: velle enim ἀμήκανον vt dicebat Theognis, ſic etiam antiqui Aegyptij ſacræ philoſophiæ authores primi quò poſteris voluntatem deſignarent deam virginem, igni purganti ſupraſtantem columnis inſculpſerunt. Virginem quò puram, & à ſe natam eſſe deſignarent. Velle igitur quæſititiũ, velle non eſt quicquid clamitent doctores moderni qui voluntatem coactam, voluntatem temerè aſſerunt, tãtumque dogma futile, extorta legum explicatione in argumentum probant: parùm cauti qui dum velle coactum aſſerunt legis liberam vocem non exaudiunt. ſi quæſititiũ igitur velle, velle nõ ſit cum pſiphiſmate aureo,

psiphisma æreum quæratur non liberum quis dixerit:nec proindè regis, aut imperatoris electionem liberam:quæ si non libera sit,iam non est electio vt supra dictum est:non debet igitur populus regem inaugurari . quod si inaugurari cœperit iniustè: iniustè igitur eligendi regis prouincia populo demandatur. Præterea quò incœptum sermonem producamus iniustámque regiam electionẽ probemus antiquorum regna breui inductione iam inquiramus. Siue igitur Ægyptiorum Pharaones, Bitinorum Ptolomeos, spartiatũ Arcasidas, Siculorum tyrannos, Albanorum syluios inspexerimus:hos omnes fiscale quoddam & specificum patrimonium habuisse reperiemus. Regibus enim Ægyptiorum patrimonium quoddam erat teste Diodoro. lib. secund. Heraclidæ etiam familiæ seu Arcasidis certa erant prædia, à cæteris Lacedemoniorũ campis separata, vt author est Xenophon in republica Lacedemoniorum. Fas ne fuerit tyrannorũ Syciliæ patrimonium addubitare? qui proindè nomen tyranni odiosum reddiderunt: quòd non tributa auxiliaria, sed sibi cum patrimonio vna profiterentur, sic etiam de cæteris suprà scriptis. Romanorum vero Cęsares duplex habebant patrimonium publicum scilicet & sibi specificum,de quibus distinctè Iustinianus in l. Benè à Zænone C. de quadr. præscrip. Proindè duo erant ęraria Cæsaribus teste Arcad. & honor.impp. in l. vnica C.de quest.& magist. offic. lib. 12. Cod. Quid Politicos reges ? Turca etiam duplex habet ærarium publicum & priuatum, duplex igitur patrimonium, Nulla denique regna memorantur in quibus rex duplex etiam non habuerit patrimonium. priuatum quò apparatu cæteros excedat. Publicum quò bellum sustentet sumptibus. Priuatũ verò regi est ac regiæ familiæ. Bar. in l. Prohibere §. planè ff. quod vi. aut clam.

Publicum vero ita regi proprium est vt nè cui alteri sit proprium, vt dixisse ferunt Traianum imperatorem. Publicum hoc, potius est regni, quàm regnantis. hocque pes est qui Calani Corium sistit id est regi populum reddit obsequentem, quid moror? si salicum illud apud nos (vt Neotericis placet) priuatum regis Gallici patrimonium vocatur: apud nos duplicia sunt regum patrimonia. Certum enim est ea quæ publici patrimonij sunt alienari quotidiè: quæ verò priuati nusquam: nè obinde lex salica indirectè subuertatur. qua scilicet fœminæ à regno arcentur nè splendor regius vilescat: at vilesceret maxime si diuisionem pateretur: quia nihil tam magnum quòd diuidendo paruum non reddatur. Auth. de trient. & semi. in princip. Glo. in Auth. vt iudic. si. quoq. suff. in princ. in verb. sufficere. Bald. in l. cunctos populos Col. ij. Cod. de summa tri. & fid. Cat. Ergo & regibus Francorum priuatum est & publicum patrimonium cum apud eos vsitatissima & prohibita sit patrimonij alienatio. Ex his igitur patet omni tempore regibus duplex fuisse patrimonium publicum scilicet, & priuatum. publicum regni, priuatum regnantis. quod quidem regnãti Baldus dicit esse necessarium. de fœd. mar. duc. & comit. col. 10. Canonistæ in cap. quanto de Iureiurand. Ex his itaque sic infero. simul atque populus, aut ciuitas fuit (vt dictum est) rex fuit. Nullus rex priuato caruit patrimonio. Priuatum patrimonium corona dicitur quis igitur iuste sceptro priuandos reges dixerit? is certè qui electionem regum posuit. Præterea altera adest ratio vbi vltima hæc non fuerit firma satis. Priuatum illud patrimonium in electione aut non distrahitur, aut distrahitur quidem: si non ab electione distrahitur, electio iniusta (vt dictum est) si distrahitur non amplius rex, sed regulus aut tyrannus (vt sum dicturus) electio-

Id est retinaculũ imperij vide Plut. in Alexan.

ne inuestigatur. Regulus quidem si solis tributis contentus à suis primis regibus deliratit. Tyrannus si vt magni animis assolet suorum prima vestigia inspexerit. Quod vt exemplis innotescat: Ferunt in tantum vectigalibus Macedoniam antiquitùs fuisse exhaustam vt suprà cæteras nationes lucro inhiantes Romani (vt Hannibal Antiocho facetè respondit) eadem deuicta, etsi in victorum regum ius successissent media tamen vertigalium parte fuerunt contenti Sed quare? vndè tanti causa mali? Alexander certè qui non solùm vestes persicas, sed viuendi modum ab oriente reportauit: degeneres verò reges, & multitudine terrarum & possessionum Alexandro multùm inferiores, Alexandri tamen vestigia in apparatu regio æmulabantur. Inde igirur tributa tributis agglomerata. Ferunt etiam intantum Asiam ab Anthonio fuisse exinanitam vt eadem veteris belli immemor Hæbreum suum oratorem superba voce afflatit, coëgeritque Anthonio dicere tributa pro ratione fructuum exigenda: poindè aut tributorum partem remittendam, aut etiam cum diis paciscendum pro fructibus asiaticis in anno geminandis. sed vndè hæc? ab Anthonij certè cōtempto (licet magno) domus patrimonio, eiusque inaudita Luxurie. Si igitur suum essè rex à suffragiis popularibus cęperit aut regulus, aut certè tyrannus erit: Regulus si sua contentus sorte supersilia habuerit inflexa: Tyrannus si magna tum æmulus regalitèr, & splendidè velit regnare. neutrum expedit: Ergò nec regis electio. sic igitur regia Othomani suffragia infirmantur. Cui simile quiddam quod antiquitùs Leonidas Agidi possem quærere vt enim is Agidi quæsiuit: légesne quæ æquitati consentirent quondam vidisset quæ debita officia, debitásque creditoribus pecunias citra solutionem delerent. sic ne is Othomanus quasdam in pan-

Plut. in cōp. Aff. et Han.

Eutrop. li. 4.

Plut. in Ant.

Plu. in Clěr.

dectarum libris leges vidit quibus exteri freti, hæreditate paterna filios spoliarent? Æquitas num vna Agamenoni & Thersitæ Homerico? Audiatur Pindarus ἄρχει τῶ ἀρχόντος ὁ νόμος παντῶν βασιλεὺς τνητῶντε καὶ ἀθάνατων, priuatis lex imperat: pari igitur lege Agamenō & Thersites reguntur. At dicent fortè fastigium regale dignitatem esse personalem: filios proindè fastigio regali non succedere. at quò huic rationi obiecturæ fortè respondeam. Nego primum fastigium regale dignitatem esse. Si enim Episcopatus in iure non est dignitas, quia culmen est dignitatis cap. dilectus iuncto cap. 2. de Concess. præbend. cap. qui Pontif. de offic. deleg. lib. 6. cap. fin. de senten. & re iudic. eod. lib. Panorum in cap. cum vintonens. de elect. Quia igitur omnibus in confesso est regiam dignitatem culmen esse fastigiúmque dignitatum: patet proindè non nisi nomine tenus dignitatem esse. sed detur hoc, fingamúsque animo regale munus dignitatem esse. sed si seruus Romanus (vt tritum est in iure) immobili glebæ fuit ascriptitius: inauditúmne coronæ & diademati regio annexam esse dignitatem? si verò detur regibus pari cum subditis vti iure, facilis huiusce rei erit assertio. Certum est enim (vt regna extera prætercam) his omnibus potissimùm qui Galliarum antiqua posteris tradita perlegerunt antiquitùs iura municipalia in dignitate posita: sed Ludouicus Balbus, aut aliorum opinione Hugo Capetus quò nobiles sibi deuinciret, regnarétque tutius: quod prius Gallis dignitatum loco habebatur: illud patrimoniale, domaniale & hæreditarium nobiliū nepotibus reddidit, terrisque ascripsit. facilè igitur videre est dignitatem personalem à persona delirasse cùm quòd antea dignitas esset, modo fructus ciuilis nuncupetur. Vt igitur hæc dignitatum nouatio à regum timidorum fortè mu-

nificentia deriuatur: detur etiam regibus regiã dignitatem, non vt dignitatem quidem, sed vt quid hæreditariũ possidere. Nõ est igitur (vt re soluamus) culmen fastigiúmque regium digni-tas, quod si dignitas, annexa tamen coronæ. Parùm igitur hac ratione (quæ nobis fortè obiici potuit) quæ priùs de electione diximus improbantur. Audiamus alteram subsequentem quæ non à nugis philosophorum, non à fabellis muliercularum, non denique à cineribus otiosis, sed à vera Apostoli voce à Christo authenticata promanat. qua cùm huius disputationis summa examinetur, in spem futuræ victorię sum adductus. Is autem regnum omne à deo esse religiosè asserit, deumque reges locare, populóque adimere pro arbitrio solitum. Quod igitur deus nutui reseruauit populo profano irrogare omnimodo indecorum. Tuetur tamen contrarium Othomanus, dictúmque ratione meo iudicio multùm puerili asseuerat & tuetur vt enim (dicit) equites non quòd ex generoso equo natum est, sed equum ipsum generosum. Venatores non quòd ex cane generoso, sed canem ipsum generosum expetunt: sic in repub. non magnatum filij, sed magnates ipsi sunt expetendi. ipsa sunt Othomani verba quæ vt æqua lance perpendamus. ponendum est primùm similitudinis rationem, non rationem, sed ratiunculam esse potiùs quæ paruam quidem fidem facit, aut penè nullam. quòd si tamen ab antiquis philosophis vt Aristotele, & cæteris similibus vsurpatur, non vt doceant quidem: sed quò clariorem sermonem & intellectu faciliorem reddant. quod indè patet quod eorum ferè similitudines aut à numeris, aut à Geometricis figuris sumerentur. quæ quidem omnia prima puerorum antiquitùs erant rudimenta. nec enim vllus Academiæ patebat aditus in Geomitricis ignaris: quòd suadebat ve

tus ſuper Academiæ Ianuam inſcriptio οὐδεὶς ἀγεωμέτρητος εἰσίτω ſi igitur ſummi hi Philoſophi in tantùm ſimilitudinibus ſunt vſi, quò ſubiectam ſibi materiam facilitarent, non autem quò quid indè neceſſariò concluderent, non video quam fidem ex ſimilitudine apud doctos quærat Othomanus. ſimilitudo enim omnis (ſi detur hoc legibus explorare) eſt figmentum rei vt ait Bald. in l. quod nerua ff. depoſ. nec quisquam hominum vidit vllum ſimilê idem. l. non poſſunt ff. de legibus l. ad ſimilitudinem Cod. de ſacros. eccl. l. ſi idem Cod. de codicil. ſi igitur probat ſimilitudo ea propter probat quod aſſociata ſint ſimilia: verum quum nuſquàm vna, ſed ſemper diſsimilia vt probatum eſt. reſtat vt concludamus ſimilitudinẽ nullam fidem facere: quum ex ſimili ſimile quid neceſſariò inferri non poſſit. Barth. concilio ſecundo in verbis quoniam lex. Sed quoniã hæc ratio fortaſsìs multùm debilis, ad rem veniamus videamúſque an fortes, à fortibus generentur. quòd ſi generari probauerimus, omnis Othomani corruit ratio. A Lacedemoniis igitùr primò rationem quæramus, quos legiſlator lycugus non ſolùm robore corporeo habilitarat, ſed & mulierum corpus ita domuerat vt ijſdem molities (tanquam inſueta) noxæ eſſet. Atque vt apud Athenienſes mulieres vbi plus ſolito (ſi Plutarcho credamus) operi inſudarant: ſudorem ipſum morbum effingebant quò poſteà ſegnitèr, & ocioſè torpeſcere liberè fortaſsis concederetur. ſic è contrariò ſpartanæ mulieres vbì plus ſolitò quiuerãt otio defatigatæ nouos labores quæritabant. Intantum lycurgus laborem improbum, eis probum reddiderat: neque aliam ob cauſam quam vt eorum fœtum fortiorem redderet: omni enim tempore nudæ genu, paleſtra excercebantur, vt author eſt. Plutarchus in lycurgo: milites etiam erant Spartia-

tæ, milites quidem quo ad Spartam, quo ad exteras. verò nationes imperatores. nec vſquam antiquitas alienos tulit: inter cæteros Syracuſani nullo niſi Lacedemoniorum imperio ſe ſubmitti fas eſſe exiſtimabant vt facile eſt ex dione augurari, qui quo ſuis Imperaret ius ciuitatis Spartanę cautè priùs quæſiuerat fortitudo. igitùr hæc à parentibus orta fuit. quòd probè acutéque perſtrinxit Gorgone regis Lacedæmoniorum vxor, cùm enim quædam mulier peregrina ei dixiſſet: ſolæ vos lacenæ in viros imperium habetis: verùm (inquit) nempe inter exteras ſolæ viros parimus. etiam nullæ aliæ ferè mulieres exercitijs virilibus ſeſe nobilitarant. Ferunt etiam Amazones à Scytharum thauro obinde defeciſſe quod nõ amplius Scythas, ſed Scythulos & homnculos generarent. cum enim (vt Author eſt Hypocrates) ſcytæ multùm equitaſsent, idque pedibus non fultis, ſed ſuſpẽſis cruribus in patriam reuerſi: omnes ferè claudo pede incedebant. cui morbo vt obſtarent ferunt aures retrò venulas aperuiſſe: quibus apertis, ſanitatem priſtinam recuperaſſe. at inciſio hęc ſteriles ſcytas, & ferè omni ex parte infœcũdos reddidit ne igitur ſcytica ſtemmata, & inſignia deperderẽtur Amazones viros alios quæſierunt, & à ſcytis defecerũt. quin ita ſit, exindè patet quòd & regina Thaleſtria progeniẽ ab Alexãdro parùm verecundè quæſiuit. patet igitur ex his magnamitatem à parentibus emanare. quod & velle videtur Virgilius dum pulcram Æolo progeniem affuturam canit. *Deiopeiam.*

Connubio iungam ſtabili, propriamque dicabo,
Omneis vt tecum meritis pro talibus annos
Exigat, & pulcra faciat te prole parentem.

Adeiopeia enim pulchra, pulcher enaſcetur fœtus. ſic etiã multis ſeculis antè Homerus ij Od.

χαῖρε γύναι φιλότητι, περιπλομένου δ' ἐνιαυτοῦ
Τέξεις ἀγλαὰ τέκνα, ἐπεὶ οὐκ ἀποφώλιοι εὐναὶ

Ἀθανάθων.

Id est gaude adamate mihi ast cum se, euoluerit annus
Illustres (neque enim sunt vana cubilia diuum)
Natos nixa dabis.

ἀγλαὰ Homerus vocat fœtum, eo quòd patrem sit habiturus Neptunum. Alexander vt est apud Iustinum seruilem Pænorum progeniem tractu temporis nobilitatam tamen, funditùs extirpauit: etsi crudeliter multùm proindè tamen quod seruili satos sanguine, semper ignobiles existimaret. quid moror? ferunt Catonem censorium in vltima senectute multis iam procreatis liberis veneri operam dedisse qui in flagranti amore detectus, se Catones multos filio similes reipub. procreare respondit. atque ità respondens tantum (abest vt censoriè) carperetur quin è contrà futuris Catonibus sese efferebant Romani. Quendam ferunt Lacedemoniorum regem contra Thebanos credo Lacedemone certantem postquam suis quid virtutis in armis haberet ostendisset. ferunt vniuersos Lacedemonas clamitasse, atque obsecrasse vt solus, cum sola vxore domi se reciperet dum sanus, & firmæ starēt in corpore vires: vt scilicèt sibi similimos multos, Spartanæ reipub. fereret. Parthi etiam in M. Crassi ignominia cum publium Crassum strenuè sæpè cum Gallis decertantem conspexissent: sanguinem adhuc singultantem capite priuarunt, hastæque affixerunt atque M. Crasso insultantes quæritarunt cuiusne caput esset hastæ affixum, filij nè esset? non equidem eis videri: cum is segnis, paruo, demissóque esset animo: Publius verò illustris & præstantia rerum à se gestarum insignis. Ephori (vt supra diximus) Archidamum mulctarunt quòd mulierculam in vxorem duxisset: proindéque eis regulos non reges esset procreandus. Si igitur fortes fortibus generentur: non reges alios quam regis filios habemus.

eligere, quod ſi detur hac ratione inquirere paucis perfecerim. Si enim inter mortales quidam ſunt elato animo, quidam remiſſo, illud omne à corporeo temperamento (ſi Philoſophis credimus) oritur. quibus enim qualitates eſſentiales & contrariæ probè ſunt vnitæ: his & ſanguis exſtat purus: his cerebrum neque madēs, nequè nimìs ſiccum. Cum igitur hæc homini quadrāt is ſemper magnanimus & cum eo virtus, non è contrariò natus ad virtutem videtur. animus enim ſequitur temperamentum corporis, & abeunt cum ſanguine mores. Ex potenti igitùr præpotēs & bellicoſus. qui enim morbo Cæſareo antiquitùs affecti, Cæſareos habebant nepotes. Quis ex Lepidis erat vnum ex oculis habebat pellicula inuolutū. Qui ex Plancis pedē latum. Qui ex regia perſarum familia naſum aduncum. Qui etiam ex Microchephalis orti Microchephali erant (vt eſt apud Hippocratē) ſed qui ſunt paruo & oblongo capiti (quale pericli fulminanti fuiſſe ferunt) cæteris ſunt ſapientiores vt Phiſiognomicis placet. reſtat vt à ſapientibus ſapientes etiam oriantur. ſequitúrque parentis affectionem nepotis corpus afficère, atqui animus à corpore efformatur vt pluribus verbis probat Ariſtoteles in phiſignomia. reſtat igitur vt à bellicoſis, bellicoſi oriantur. quod Virgilius videtur etiam concludere dum vult Aſcanium paruuli Aſtianacis cognatum argutari.

Lib. de aere aquis & locis.

Plut. in Peri.

Sic oculos, ſic ille manus, ſic ora ferebat.

Verum dicent aliqui, quid ſibi vulgatum Græcorum prouerbium ἀνδρῶν ἡρώων τέκνα πήματα vndè igitur & illud Demoſthenis?

τῶν ἀγαθῶν ἀνδρῶν ὥσπερ εἱμαρμένη εἀὴ φαῦλους ἀποβαίνειν ὑοὺς qualis præterea Vticenſis filius? qualis Ciceronis? quales denique Periclis & Themiſtoclis? At vt eorum excipiam deffenſionem eis multum patrius (meo iudicio)

ſplendor obfuit, effecitque vt poſteritas eos paterno potiùs, quam ſuo nomine agnoſceret, atqui hi omnes primi patres eo fuerunt nati ſub ſydere, vt à primis rerum geſtis populi fauorem ſibi quærerent, ſi igitur hi omnes alienis, & incognitis fuiſſent orti parentibus, non ab Athenis laudem (vt Seriphius Themiſtocli exprobabat) ſed à ſeipſis ſumpſiſſent. Periclis quidem filij iuueniliter multa non per ætatem tamen licuit veterem patris gloriam abſorbere. Catonis vticēſis filius, animo lid eſt vxore (ψύχη nomine) Marphadatis Capadociæ Regis potitus ſed hoc vitium ætatis erat potiùs, quam Catonis. Meliùs tamē ſi caſtum patrem & Lælium imitatus fuiſſet: quos ferunt fidem ſemel vxoribus datam nuſquam fefelliſſe. ſed ſi Catonis vita ſordibus contaminata, has tamen in Philippicis pro libertate, contra Cæſarem & Anthonium decertans ſanguine deleuit. Obfuit præterea Ciceronis filio patris venuſtus ſermo, & explicata ſui conſulatus tempore Catilinæ coniuratio. Verùm ſimile quid Cicero filius patri habebat dicere, quòd quondam Alexandrum Macedonum regem Philippo patri lachrymantem dixiſſe ferunt. nullas ſplendoris & gloriæ occaſiunculas reliquiſſe. quicquid ſit magni hij, & bonæ ſpei fuerunt iuuenes, maximique ſi cum exteris conferantur, vt enim Troylus ille Troyanus & ſi ſe bello græcis ſæpius manifeſtaſſet, Hectoris tamen factis clarioribus fuit extinctus. ſic illud idem de filiis procerum prædictorum cenſendum eſt. ſi igitur magni à magnis naſcantur (vt aſſolet) cum in hypotheſi rex ſit ſtrenuus: non exteri ſuffragiis, ſed regum filij erunt eligendi. Nec proindè tamen velim dicere, neceſſariò ſequi hominem ſtrenuum eſſe ſi à patre ſtrenuo originē ſumpſerit, ſed anile prorsùs figmentum à magnis, magnos non poſſe naſci. Vlterius tamen ſermonē

Plut. in Cat. Vticenſi.

profero nam aut imperatorum successores sunt strenui, aut hebetes & obtusi. si strenui, frustrà suffragia exquiruntur: cum suffragia nullum alterum præter strenuum exposcant. si hebetes meliùs quam strenuos regnaturos dicam. quod vt certum, indubitatúmque omnimodò reddamus, detur si placet rem altiùs exordiri. Certum est omnibus regem ad instar esse puncti, aut centri in medio circuli appositi, circa quod pũctum re ipsa, aut potentia circulus existens (cũ tamen punctum sit immobile) moueatur. a rege enim omnia promanant, & ad regem omnia refferuntur. & vt circulus non nisi ratione centri dicitur, sic etiam populus non nisi ratione regis. & vt punctus non est in circulo ita nec popularis, sed extra populum rex est. indè igitur patet parùm referre populo principis excellentia, virtutis splendor, aut animi obscuritas. Nam quemcunque splendorem rex habet hunc omnem à populo assumit. Præterea ea omnis respublica, istud omne imperium prosperè tunc regitur, si à regis consilio, non à rege ipso regatur. Aut enim dissimilis rex est à cõsilio, aut vnus. at quid refert modò hoc consilium rex authoriset? qui igitur ex regibus natura dissimilibus sibi consulentibus facilius credunt? hij ne qui bellicosi sunt & audaces, an verò qui hebetes sunt & obtusi? Pompeius. Et si omnium iudicio clementia, & morum facilitate Cæsarem adæquaret: In Sicilia tamen Messanæ Ciues nihil præter suum tribunal aspernantes (à quo contendebãt veteri populi Romani formula se esse exemptos) accincto humeris gladio contempsit. Hanibal & si propè Zaman (vt iam dictum est) fusus, & si in Carthagine libera cum suis degeret: quidam Gisgo tamen cùm fœdus cum Romanis inire populo Carthaginiensi dissuaderet, dissuadentis vocem è faucibus arripuit Hannibal, à sedeque manu detur- *Plut. in Han.*

bauit. quæ quidem omnia vt liberæ ciuitati parũ quadrantia ſuorum Hannibali odium cùm excitaſſent, cauſam omnem armis quibus à multis annis is erat aſſuetus relegauit. nec mirùm, armis etenim innatum eſt, neſcio quid audaciæ ità vt qui ſtrenuus ſit & armis potens, conſilio obſequi æſtimet indecorũ. quod Poeta in Aiace ſatis apertè edocuit.

Præſtat igitur fictis contendere verbis
quàm pugnare manu.

Qui Igitur in armis Regem ſtrenuum quæſiuerint, haud ſcio an ſuam ciuitatẽ legibus perpolitam expoſcant. quod ex hoc diſſimili Regum antiquorum imperio facilimè deſpicietur.

Virg. ſex. En. *Diſſueta tropheis agmina,*
Reſideſque mouebat Tulus in arma viros.

At Numa Tulo contrarius *legibus vrbem fundauit.*

At qui Romanis Numa Pompilius, longè Tulo Hoſtilio fuit vtilior. Reſtat igitur vt ſtrenuus & bellicoſus ſuffragijs popularibus regno non ſit adoptandus, ſed is potius (ſi detur optio) qui legibus patriæ ſubſeruiet. At minus acuratiùs audax legibus ſubſeruiet: Regum igitur filij & ſi minus audaces bello fuerint, pro Regibus tamen ſunt colendi. Non enim vt dicebat quidam ex Antiquis, Rex debet eſſe ſcutifer aut armiger: ſed ſcutiferis & armigeris imperare. præterea non proindè ſtat imperium quod qui imperat gnarus ſit imperandi, ſed à ſubditorum potius obſequio: Platonis enim leges ſemper æquæ, fauſtæque Regnis fuerunt: at is ipſe tamen Cheronenſibus legiſlationem recuſauit dicens. χαλεπὸν εἶναι κυρηναίοις νομοθετεῖν· οὕτως εὐτυχοῦσιν. Manat igitur imperantis ſplendor ab imperatis. Quod quondam Theopompus lacedemoniorum Rex cuidam a-

Plut. in Lyc. pud Plutarchum in Lycurgo reſpondit qui lacedemoniorum ſplendorem Regibus imperandi gnaris referebat: (ſed potius licet Rex eſſet)

cum Lacedemoniorum splendorem à ciuibus edoctis Regibus inseruire deriuandum dixit. Non igitur Regem bellicosum, constantem, Herculeum, aut Persicum & mollem habemus exquirere: sed eum potius qui sibi consulentibus crediderit legibúsque attemperarit. Sic enim populum ab omni bellico tumultu & exitio abducet: túncque fortassis Regem satis sagittis habilem populus habebit. Omnis deniquè Regis fortitudo ciuibus, Regnique saluti referenda. at Regni salus non tam armis, quàm legibus inuestigatur. Cùm igitur sagacitate, consilio & prudentia Regna tueantur cum consilium & molli & strenuo Regi semper sit vnum: Cunque huius cōsilij mollis sit auditor, alter contemptor: si igitur heroum filij strenui fuerint, frustranea erit electio: si molles, Regno etiam cum dixerimus fortunatiores, inutilis erit igitur electio. Nullatenus igitur in Regno Regum est electio admittenda, quæ licet strenuum sortita, non tamen fœliciter: sed è contrà potius possem mihi cum ratione polliceri, longua inductione facilè probare Regem strenuum regno suo plerunque fuisse exititio, nec à magno Agesilao sermonē flecterem ni sermo is (prolixior fortassis quā par sit) tacere suaderet. si igitur strenui reges non sunt Regno multùm perutiles, non igitur vt ex generoso cane canes, sic ex generoso quolibet Reges sunt vt eligantur exquirendi. cùm strenuus quidem & audax sit parū regno faustus. Superioribus his addam succintè (nè in loquacitatis suspicionem veniam) innatum nobis filiorum amorem electionem funestam Regno redditurum. quis enim hominum se Regem æquo animo salutari passus, filiorum inferriore despecta fortuna?

Omnis in Ascanio chari stat cura parentis

Et quidquid agimus, filiorum causa gerimus: Atque tum demum stationem vitæ fœlici passu

peragrasse existimanus cũ filios nostris ductos manibus, latium nostro fœlicius attigisse conspexerimus: quod si liberorum infortunia nos attingunt, ad quod non discrimen se pater con-

L.2.de li.cã. iecerit quo Reipublicæ clauum filio reseruet? Indè immaturæ regum electiones, indè apud Sarmatas, Panonios, supplici regnantis voce designati reges. quibus si electores non suffragarentur quę cædes, quæ bella? Imperatorum sancta apud Germanos electio: quis tamen Imperatorum (& si iustè parùm) dum vixerit, filium Romanorum Regem non designari fecerit? Hoc tamen electores priore imperante è viuis excesso (nè Germanorum status peruertatur) confirmant, in vimquè tanti suffragij rex Romanorum imperator euadit. Verum quis coactam, vt suprà diximus, electionem dixerit liberam? Et si verò aduersarij authritas non sufficiat probaturo metum l. ad Inuidiam Co. quod met. Cã. neoterici doctores in l. interpositas cod. de transact. consueta tamen, & omnibus fere imperatoribus solita, & his assuetus filiorum amor electionem reddent coactam Glo. in l. i. ff. quod Iuss. Barth. in l. 1. §. proinde ff. quod vi aut clam. idẽ Barth. in tract. de Tyrã nide. Pannor. in Ca. cum dilecta. in Cap. abbas quod met. cã. cap. 1. de off. deleg quod si quæ coacta sit electio nulla sit, vt suprà diximus, hæc nulla manifestè videbitur. Iulium Cæsa-

Plu. in Cæs. rem clandestino amorę Marcum Brutum excœpisse ferunt: Atqui etiam si Cæsari contigisset senectutis torporem persentire, haud scio an Brutum imperatorem mundi non salutasset ipsius Cęsaris sermo, dubitãdi mihi præbet occasionem: cum enim à quodam familiari accepisset Brutum vitæ suæ insidiari: manu pectori admissa respondisse ferunt: num Brutum consumpturi corporis momentum posset expectare? quasi diceret solum Brutum diadema (cum

vita

vita excederet) consecuturum. Is vero non solũ Cæsari, sed omnibus ferè similis innatus fuit filiorum amor. Darius enim apud historicos non sui ipsius, sed filiorum perhorruit infortunium. Si itaque nulli sunt Reges electi, qui nõ electores, & si parùm iustè, adigant filios Reges designare, frustranea erit igitur electio: cum potissimum si qua sit ad Regnum aut imperium designatio sit vna cum electione. Verum dicent aliqui quid si Rex filiis vel parentibus careat, admittenda ne Regis electio? admittenda certe si regia soboles non superſit: at fieri non potest Regem parentibus & successoribus carere cum sanguis Regius, & affinitas regia decimũ gradum exuperet: sitque regum obseruata cognatio perpetua vt eleganter Bald. vt cętera de feud. marc. duc. & Com. Col. deci. frustra igitur ab Othomano exquiritur regis electio quæ neque regibus, neque gentibus vilis vsquam vtilis fuit vt suprà pluribus verbis diximus. hanc etiam ob causam Persæ vt funestam ita perhorrescebant vt nullis suis Regibus fas esset Regni persici fines superare insalutato successore: nullusque, si ad bellum proficisci vocabat occasio, á cõsuetudine Regni patebat exitus quàm successorem in Prosagade tẽplo, thiara, scorto, aceto & lacte simul epoto, statuto diei inaugurasset. quò si bello occumbere contigisset, casus acerbior, id est futura regis electio persici Regni pacem non peruerteret. Et certe si omnis nouatio Reipublicæ sit periculosa, hæc potissimum fuerit: atque etiam si quid innouari & si reipublicæ perutile faustumque sit deferendum: si tamen Reipublicæ statum peruertat, vt rectè Molineus in proëmio cõs. pari. Innutilissima potissimum hæc regis electio deferenda. neque præterea sequitur eum qui nobilis priuatus vixerit: Regem electum talem proinde affuturum. vt Neronis & Antiquorum

Plut. in vita Alexand.

Consuetudo inaugurandi Regis apud persas Plut. in Artax.

historiæ ſatis declarant. ſimilis igitur plerúmque rex electus & naturalis: id eſt æquè vtilitati publicæ ſtudioſi, & è contrà. fruſtranea proindè erit regum electio. His igitur ita pertractatis paucis quid de Auguſta (ſi quidem ab initio propoſitum fuit) dicamus, quale ſcilicet ius ei in Regno competet, liceatnè iure ei Regnare, an non. quæ queſtio vt Regna extera omittam multis Anglorum milibus, multis etiam Gallis fuit exitio. Edouardus enim legem ſalicam (qua Auguſtæ à Regno arcentur) non legibus ſed ferro metiebatur: nec rationem (vt aſſolet) habebat excluſonè aſſendente, & deſcendens ex aſcendente excluderetur. ſed matri deberi animoſè tuebatur: quod ſi non matri, ſibi tamen à matre oriundo. Anglorum verò inimica ratio hæc fuit. ſi lex nulla ſit niſi authenthica ſeu authauriſata: vnius Regis lex alterius regis ratione authentica non erit. Reges enim pares ſunt Imperio: par verò in parem veteri legum axiomate non habet imperium. Hæc Edouardi fuit ratio. addebāt etiam Angli Regna fuiſſe infinita in quibus Auguſtæ pro Auguſtis habitæ fuerant tēpuſque quo Regnarunt æquè Regnatis fortunatum fuiſſe, quam ſi in eo Homericus Achiles regnaſſet. Semyramis Aſſyriis imperauit: Aſſyriorumque manu multos hoſtium ſubegit multaſque ciuitates fuſis furore bellico ciuibus ſuo imperio adiunxit. Tomyris Perſarum regi Cyro caput fuſis hoſtibus amputauit nec hoc Perſæ vſquam dedecori acceperunt.

l. Pri. l. ſinali Cod. de natu. lib. l. ſi viua cod. de bonis mat. §. hoc autē quæ feud. dar. poſſ.

Molineus in Proem. conſue. pariſ. vid. iura ab eo allegata.

Pantheſilea furens mediis in milibus ardet
Bellatrix, audetque viris concurrere virgo.

Dido his imperauit qui eam Reipublicæ Romanæ cladem attulerunt vt Italus multo tempore nihil preter Cœlum cladis adhuc Romanæ teſtem: nihil præter humum cruore & ſanguine madentem circumſpiceret, nam Hanni-

bal ortus Didonis, si Virgilio credamus, ex ossi bus. Apud sarmatas Gracci filia dum vixit: sarmatis imperauit. Fœlices Ægiptii qui tempore Cæsaris, Pompeii iunioris, & Anthonii, Cleopatram Reginam habuerint: plus enim sermone & astutia muliebri Ægiptiis profuit, quàm Ægiptiis Anthonianæ cohortes profuisset. notum autem est, vt prius dixi, Asiam ferè ab Anthonio tributis exinanitam, Alexandriam non item. Verum non mirũ, vt cũ Cleomene loquar si fœmina efœminatis imperauit. At quanuis senio depressa Gallo sint supersilia, nusquam tamen Cleopatram Reginam vlla pateretur ætas. Alexander magnus cum resciuisset matrẽ Olympiam cum quadam nomine Cleopatra Regnum Epyri & Macedoniæ regendum accepisse: Matrem Epyrum, Cleopatram Macedoniam matrem dixit Cleopatra sapientiorem quod scilicet Macedones nusquam paterentur se à mulieribus regi. sic fortassis Galli nusquã Reginas. At de lege salica si quid licet dicere, sanctam quidem puto si barbaris moribus qui Reges exteros cõcomitãtur nos, vt sibi legis finis effinxit, priuarit. si igitur primus Rex eam tulerit, rectè quidem si verò cum iam consuetudine in Gallia Receptum esset Reginas regnare, parum iusta. Quod si hoc legibus detur probare summa adest doctoris Authoritas de Imo. in cap. grãdi de supl. negl. præ. in sex. vbi asserit de iure quidem fœminas Regno incapaces, de consuetudine tamen contra. §. hoc autem qui feud. dar. pos. cap. dilect. de Arbi. Bal. cap. 1. de succes. feud. vbi Iustè ait in Regno Appuleiæ mulierem defficientibus masculis succedere, sic de regno Nauaræ & Angliç sentiendum. Verum Pharamondus primus Francorum Rex hanc legem sanxit. Rectè igitur à Regno gallico mulieres expelluntur. Restat igitur videre an Reginç sit de rebus

4. Aen.

Regni immiscere. Othomanus quidem vlla absque distinctione propter imbecillitatē consilii à Rebus Regni arcendas contendit. Hector apud Homerum (fateor) de Rebus regni deliberaturus Andromachem vxorem ad lanam relegauit. Secus tamen Brutus qui Porciam se ipso imperio digniorem (licet dignus vt ex Cæsare prius dictum fuit) proclamauit. Verum si Othomanus eas in strictioribus Regni Consiliis non admiserit: obindè tamen admittat quò quod consultum sit, firmius subditis hæreat. Liberalis præterea causa, seu honestas ad hoc quoslibet impellit vt eam quàm natura matrem fecerit consilii participem ij faciant. Præterea si Caroli sexti Fracorum regis tempore Regentem mulierem, non regentes regis Gallici auunculos habuissemus: vix ab Anglis tot cladibus Gallia fuisset consumpta. rari enim sunt Attali, id est rari sunt hij qui semel regni accepta prouincia, eandem exuant. At quia mulieribus purpura non datur: nec igitur purpuram exuere, potius igitur regni prouincia precaria mulieribus quàm cæteris quantumuis regibus sanguine Coniunctis est demandanda. Quod si mulieri tota regni prouincia committenda sit: vix debuit consiliorum regni expers esse. Si detur deniqueantiquapaucis euoluere. apud Persas certissimum est Reginas Reges solitas designare teste Plutarcho in Artaxerxe. Vndè præterea Periclis imperium? quare præ cæteris imperādi gnarus tantos exercitus subegit? Attica certè mulier causa fuit vt author est Plutarchus in eius vita. Temistoclis vnus ex filiis (si Themistocli patri credimus) grȩcis omnibus imperauit. at nihil ipse filius egit quin à matris vera voce desumpsisset. Cleomenes (etsi cæteris græciæ imperantibus sacra Marti vulpe & thauro melius perfecisset) inconsulta tamen Agide matre nihil vsquam gessit. Nihil

6 *Il.*

Plut. in Phil.

duo Gracci Romani ſenatus fulmina ex ſe populoquæſierunt, ſed quidquid actitarunt hoc à matre deſumpſerunt. qui ſi parũ probi, quid probis faciendum? Quidam apud Antiquos erant filii qui eo ardore matrem adamarant vt non ſolum eãdem ſuarum actionum participẽ ſed autorẽ primam effecerant: ita vt nihil ea ipſa inconſulta populo proponerent. tantæ verò (vt author eſt Plato) pietatis memores diis eoſdem vita priuarunt, cœlíque axem annuerunt. diis igitur gratum matris obſequium diiſque perplacet eam conſiliorum perticipem habere quam matrem habuerint, non igitur à Conſiliis regni ſunt arcendæ cùm ſupradicti proceres matrẽ cõſiliorum ſuorum habuerint authores. Hæc habui Othomane, quibus tuam Franco Galliam impugnarem, quę ſi muſeum tuũ attigerint, multam tibi ferent ſalutem.

FINIS.

